explicatio

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
26 0
28
B.VI.n°7

ACTA
COMITIORVM GENERALIVM
Ordinis Fratrum Beatiſſimæ DEI Genitricis, ſemperque Virginis

MARIÆ
DE MONTE CARMELO.

Celebratorum in Alma Vrbe in Conuentu Sanctæ MARIAE Tranſpontinæ Anno 1680.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMÆ,
Typis Reuerendæ Cameræ Apoſtolicæ 1680.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIO.

Ad usum ... Laurentii ... Carmelitæ S. Martini in Montibus de Vrbe

Fr. Ferdinandus Tartaglia Sacræ Theologiæ Magiſter, humilis Prior Generalis, necnon Commiſſarius, & Viſitator Apoſtolicus Ordinis Fratrum Beatiſſimæ Dei Genitricis, ſemperque Virginis MARIAE de Monte Carmelo.

Dilectis nobis in Chriſto RR. A. PP. Prioribus Prouincialibus, & Conuentualibus, cæteriſque Patribus, & Fratribus curæ noſtræ ſubiectis, ſalutem in Domino.

NVLLVS eſt Reipublicæ ſtatus, ita firmiter, rectèque conſtitutus, cuius ipſa temporum viciſsitudine non marceſcat vigor; nec vlla Religioſi Ordinis diſciplina, tam accuratis legibus ſuffulta, vt non, langueſcentibus animis, prima eius ſoluatur auſteritas, & gliſcente paulatim in deterius conſuetudine, in primam hominum confuſionem non propellatur. Ideò à Maioribus noſtris prudenter inſtitutum eſt, vt Comitia Generalia ſtatutis temporibus celebrentur, quæ maculas, & difformitates, vel naturæ humanæ per peccatum vitiatæ imbecillitatibus, vel iugibus Cacodæmonis fraudibus, Regulari diſciplinæ inuſtas eluerent, iiſque anteuertendis, optimarum legum remedio proſpicerent; ſiquidem quaſcumque Reſpublicas legum ſanctitate, ac optimi Principis poteſtate florere, ac in quiete conſeruari, nemo ambigit: etenim leges inanimes, ſine vindice iuſti Principis poteſtate non prodeſſe, nec Principem, ſine æquiſſimarum legum fulcro, prudenter gubernare, pridem docuit experientia rerum magiſtra. Quo ad leges ſpectat, in nupero totius Ordinis Conſeſſu, communi ſollicitudine, & zelo, in hoc incubuerunt Gremiales, vt Familiam noſtram Elio-Martanam optimis, ſalutaribuſque Decretis, quibus antiquo ſuo ſplendori reſtitueretur, fulcirent. Vnicus ſtatuentium ſcopus fuit, veterum legum regulis inſiſtere, & à nouis abſtinere, quamdiu præſentibus malis veteres ſuccurrere poterant; ideo maxima Decretorum pars pro dubiorum propoſitorum declaratione, & accuratiori Conſtitutionum obſeruantia, pauca verò noua, cogente neceſſitate, ad pernicioſos quoſdam abuſus eradicandos, condita fuere. Illa cum Actis Capituli Generalis ad vos tranſmittimus ſeriùs optato, ob multiplices

incr-

intercurrentium impedimentorum remoras, & Typographi (cuius Typis eiuſmodi ſcripta ſolùm ſubijci poſſunt) occupationes. Ea ſanxiſſe parum fuerit, niſi & executioni demandari contingat. Hinc vos omnes per viſcera Chriſti obſecro, vt nō auditores tantùm, ſed & factores legis vos exhibeatis, & iſta Decreta, quaſi Regulæ, & Conſtitutionum noſtrarum Appendices fideliter adimplere ſtudeatis, quo Dei honorem, Fidelium ædificationem, ac Ordinis ſplendorem augere, necnon propriam vocationem certam facere mereamini: quod ſi feceritis, ex vna parte bono communi Reipublicæ noſtræ Carmelitanæ prouiſum erit. Vtinam ita fæliciter quoad electionem Moderatoris illius, cui oneri (ipſorum Angelorum humeris formidando) ita diſponente Supremi Numinis Prouidentia, mihi commiſſo vires meas impares experior, & animos deſponderem, niſi in inexhauribili omnium bonorum Largitoris liberalitate fiduciam collocarem. Quia de ſalute animarum veſtrarum meæ ſollicitudini concreditarum agitur, confido vos omnes aſsiduas ad Deum preces fuſuros, vt pro muneris mei rectâ adminiſtratione gratias neceſſarias elargiatur, me anxium, & pro vobis laborantem, & periclitantem ſua virtute corroboret, tenebras meas illuminet, protectionis ſuæ ſcuto protegat, illoque ſui ſpiritus ſplendore ſuperinduat, qui fælici Ordinis noſtri gubernio, inſtauranda Regularis Obſeruantiæ, in non paucis Conuentibus propè colliſa, vbiſque omnibus in ea, quam profeſſi eſtis, viuendi ratione dirigendis neceſſarius eſt.

De cætero, fratres mei dilectiſsimi perfecti eſtote, idem ſapite, pacem habete; & Deus pacis, & dilectionis erit vobiſcum.

Omnibus RR. adm. PP. Prouincialibus iniungo, vt iſta Acta, & Decreta Capituli Generalis imprimi, & tot illorum exemplaria ad omnes Conuentus ſibi ſubditos tranſmitti ſatagant, quot neceſſaria ſunt, vt ſinguli illa perlegere valeant, nè quis eorum ignorantia tranſgreſſiones ſuas obuelare prætendat. Datum Romæ die 28. Nouembris 1680.

Fr. Ferdinandus Tartaglia, qui ſupra.

Fr. Fer-

Fr. Ferdinandus Tartaglia Sacræ Theologiæ Magiſter, humilis Prior Generalis, necnon Commiſſarius, & Viſitator Apoſtolicus Ordinis Fratrum Beatiſſimæ Dei Genitricis, ſemperque Virginis MARIAE de Monte Carmelo.

NOtabiles fructus, quos recollectio annua decem dierum in hominibus diuerſi generis produxit, vix enarrari poſſunt; peccatores enim è cœno, & ſterquilinio vitiorum ad pœnitentiã extrahit, & veteris vitæ deterſis rubiginibus, eos ad vitam ſpiritualem adducit: In ea Religioſi totius anni defectus ad mentis tribunal euocant, eorumque radices inueſtigant, imperfecta emendant, perfecta excolunt, contra occurrentes occaſiones animum obfirmant, conatus ſuos ad ſublimiores virtutum actiones incitant, & interioris hominis imaginem ad purum reformant. Iſtos fructus perceperunt plures Prouinciæ noſtræ, in quibus pridem, maximo cum animarum profectu, & chariſmatum lucro, excultus eſt ille decendialis ſeceſſus, quorum vt etiam participes fiant aliæ Prouinciæ, vbi iſta pia conſuetudo necdum locum inuenit; Nos, tum pro Paſtoralis noſtri muneris debito, tum, & maximè, vt pijſſimo Sanctiſsimi D. N. Innocentij XI. *zelo faciamus ſatis; ſtatuimus, & ordinamus, vt omnes Fratres Ordinis noſtri, cuiuſcumque ſint ſuperioritatis, & conditionis, ab aliorum conuerſatione ſeparati, iſti exercitio recollectionis decem dierum quotannis, tempore à Superioribus deſignando vacent, in proprijs cellis, vbi locus opportunior non aderit, & piorum librorum lectioni, Myſteriorum Fidei, quatuor Nouiſſimorum, Diuinorum beneficiorum, & Paſſionis D. N. Ieſu Chriſti meditationi, iuxtà ordinem in varijs libris præſcriptum incumbant. Mandantes omnibus Prouincialibus, vt in Priores, qui profectum ſpiritualem ſibi ſubditorum in hoc neglexerint, animaduertant, & ab officijs ſuis abſoluant; quorum regimen, ſi in hoc ſollicitos ſe exhibeant, fœliciſſimum, & Deo gratiſſimum futurum non ambigimus. Datum Romæ in Conuentu noſtro Sanctæ Mariæ Transpontinæ die* 2. *Decembris* 1680.

Fr. Ferdinandus Tartaglia, qui ſupra.

IN

IN NOMINE DOMINI NOSTRI
IESV CHRISTI,
Et ad honorem DEI, ac Beatiſsimæ, & Glorioſiſsimæ Dei Genitricis, ſemperque Virginis
MARIÆ
SINGVLARISSIMÆ CARMELITARVM PATRONÆ.
Amen.

Acta Comitiorum Generalium Ordinis Fratrum eiuſdem Beatiſſimæ, & Glorioſiſſimæ DEI *Genitricis, ſemperque Virginis* MARIAE *de Monte Carmelo inchoatorum in Alma Vrbe, in Conuentu Sanctæ Mariæ Tranſpontinæ feria ſexta poſt feſtum Aſcenſionis D. N.* IESV CHRISTI, *ſub fœlicibus auſpicijs Reuerendiſſimi Patris Magiſtri Æmilij Iacomelli eiuſdem Ordinis Generalis Vicarij.*

FERIA ſexta poſt ſolemnitatem Aſcenſionis (quæ erat prima Iunij 1680.) horis veſpertinis, coram Fratribus ad pulſum campanæ coadunatis in loco Capituli dicti Conuentus, lectum fuit Diploma Apoſtolicum, quo Sanctiſſimus Dominus Noſter Innocentius XI. Eminentiſſimum, ac Reuerendiſſimum Dominum Cardinalem de Alterijs eiuſdem Ordinis vigilantiſſimum Protectorem inſtituit Præſidem Capituli Generalis; quod diploma erat tenoris ſequentis: ſcilicet à tergo.

Dilecto Filio noſtro Palutio Baſilicæ Sanctorum XII. Apoſtolorum S.R.E. Presbytero Cardinali de Alterijs nuncupato. Intus verò.

INNOCENTIVS P.P. XI.

DIlecte fili ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cùm, ſicut dilectus filius Procurator Generalis Ordinis Fratrum Beatæ

Mariæ de Monte Carmelo Nobis nuper exponi fec t, Capitulum Generale dicti Ordinis propediem in Alma Vrbe noſtra, benedicente Domino, celebrandum ſit; Nos cupientes, vt Capitulum huiuſmodi rectè, & fœlicitèr ad Dei gloriam, & Ordinis prædicti vtilitatem celebretur; Te, qui Ordinis apud Nos, & Sedem Apoſtolicam Protector exiſtis, & de cuius prudentia, integritate, & Religionis zelo plurimum in Domino confidimus, in prædicto Capitulo Generali, Noſtro, & dictæ Sedis nomine Præſidem, cum authoritate, facultatibus, iuriſdictione, honoribus, & oneribus ſimilibus Præſidentibus competentibus, & aliàs ſolitis, & conſuetis, ac cum facultate, quando Tu Actibus Capitularibus intereſſe non poteris, aliquem Prælatum Tibi bènè viſum in Tui locum ad huiuſmodi Præſidentis munus obeundum, cum auctoritate, & facultatibus Tibi per præſentes conceſſis, ſubſtituendi, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, conſtituimus, & deputamus; Teq; in Domino hortamur, & monemus, vt Capitulum huiuſmodi fidelitèr regere, ac in illo omnia, quæ ad proſperum Fratrum prædictorum regimen, & gubernium pertinent, decerni, ſtatui, & ordinari cures, & facias. Mandantes proptereà in virtute ſanctæ obedientiæ dilectis filijs eorumdem Fratrum Superioribus, quocumque nomine nuncupatis, cæteriſq; Fratribus, & ſpecialitèr Vocalibus in prædicto Capitulo congregatis, alijſque ad quos ſpectat, vt Te in eiuſdem Capituli, Noſtro, & Sedis prædictæ nomine Præſidentem reuerentèr ſuſcipiant, Tibique, ac per Te ſubſtituendo Prælato prædicto, in omnibus, quæ ad huiuſmodi Præſidentis officium pertinent, pareant, & obediant, ac aſſiſtant, Tuaq; & eiuſdem Prælati à Te ſubſtituendi, ſalubria monita, & mandata humilitèr ſuſcipiant, & efficacitèr adimplere procurent; etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate aliàs roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis: Quibus omnibus, & ſingulis illorum, tenores præſentibus pro plenè, & ſufficientèr expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat, ſpecialitèr, & expreſsè derogamus, cæteriſq; contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud

Sanctum

Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die xxix. Maij. MDCLXXX. Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

Signatum

I. G. Sluſius.

Quo lecto, omnes per manus oſculum in Præſidem agnouerunt Eminentiſſimum Dominum, qui conformiter facultati ſibi per Diploma impertitæ delegauit Illuſtriſſimum, ac Reuerendiſſimum Dominum Michaelem Angelum Zacharià, vt in Actibus Comitiorũ, quibus adeſſe non poterat, eius vices suppleret.

Deinde facta eſt Tabula Officialium Capituli, vt ſequitur.

Tabula Officialium Capituli Generalis.

Prior Capituli.

Adm. Reu. Pater Magiſter Angelus Zoni Prior Sanctæ Mariæ Tranſpontinæ.

Secretarius Capituli.

P. Seraphinus à Ieſu Maria Prouincialis Terræ Sanctæ.

Praeſes Diſputationum.

R.P.M. Ludouicus Perez à Caſtro Regens S.M. Tranſpontinæ.

Iudices Cauſarum Ciuilium.

R.P.M. Ramos ſocius Aragoniæ.

R.P.M. Scipio Caſtaldi ſocius Prouinciæ Neapolis.

R.P. Alanus à Virgine primus ſocius Turoniæ.

R.P. Marcus à Reſurrectione primus ſocius Flandro-Belgicæ.

Iudices Cauſarum Criminalium.

R.P. Andreas à S. Nicolao ſocius Narbonæ.

R.P. Ambroſius à S. Godefrido primus ſocius Germaniæ inferioris.

R.P.M. Marcellinus Fez de Quiros ſocius Caſtellæ.

Adm. R. P. Seraphinus de Apponiano ſocius Prouinciæ Montis Sancti.

Reuiſores Rationum Fabricæ.

Adm. R.P. Vincentius Baſſi ſocius Venetiarum.

R.P. Præſentatus Aualos ſocius Beticæ.

R.P.M. Baſilius la Forge ſocius Toloſæ.

R.P. Nicolaus à S. Thereſia ſocius Gallo-Belgicæ.

Reuiſores expenſarum Capituli.

Adm.R.P.M. Daniel Scoppa Prouincialis Bohemiæ.
Adm.R.P.M. Paulus Lombard Procurator, & ſocius Narbonæ.
Adm.R.P.M. Ioannes de Cancer Prouincialis Cataloniæ.
Adm.R.P. Io: Baptiſta à S. Franciſco Prouincialis Gallo-Belgicæ.

Supprior Capituli.

R.P. Albertus Viardi Supprior S.Mariæ Tranſpontinæ.

Curſores Capituli.

Fr. Donatus Forchienello Conuentus Maioris Neapolis.
Fr. Scipio Prouinciæ Calabriæ.

Poſtmodum examinatæ ſunt litteræ Procuratorum à RR. Patribus Prouincialibus Prouinciarum Narbonæ, Franciæ, Germaniæ ſuperioris, Portugalliæ, Bethicæ, & Flandro-Belgicæ, quos nonnulli Gremialium ſuſtinuerunt non eſſe admittendos, eò quod id videatur prohibitum à Concilio Tridentino cap.6. ſeſs.25. de Regularibus Conſtitutionibus Ordinis, & Decretis Capitulorum Generalium; & minus, eos poſſe gerere munus Definitorum Generalium: quibus reſponſum fuit, vocalibus legitimo impedimento detentis, à iure communi licitum eſſe Procuratorem inſtituere; cui non derogauit dictum Concilium (vti ſæpè declaratum eſt à Sac. Congregatione) nec etiam Conſtitutiones Ordinis, vt patet ex vſu ſeruato in quatuor vltimis Capitulis Generalibus, in quorum ſingulis admiſſi ſunt eiuſmodi Procuratores, etiam ad Definitorium: quibus rationibus, & alijs vtrimque adductis maturè perpenſis, decretum fuit, quod impoſterùm nullus eorum, qui, quocumque titulo ius habent interueniendi Capitulo Generali, & quocumque impedimento detineatur, poterit inſtituere Procuratorem ad vices ſuas obeundas, nec eiuſmodi Procurator ad quemcumque actũ Capitularem admitti, ſub pœna nullitatis eorum, quæ eo interueniente geſta fuerint: Et quod per vota ſecreta definiendum eſſet. Primò. An pro hac dumtaxat vice iſti Procuratores eſſent admittendi ad ferenda ſuffragia in electionibus. Secundò, An etiam pro hac vice admittendi eſſent vt Definitores: & in prima ſuffragatione pro reſolutione primi dubij, ex quadraginta votis fuerunt triginta tria affirmatiua, & ſeptem negatiua: in ſecunda autem pro deciſione ſecundi dubij reperta ſunt viginti octo affirmatiua, &

duo-

duodecim negatiua. Itaque admiſſi ſunt tanquam legitimi Procuratores ad ferenda ſuffragia in omnibus electionibus, & tanquam Definitores Generales vice Prouincialium, à quibus conſtituti fuerunt.

Et cum alia controuerſia eſſet extorta circa ordinem eorum in ſedendo, eò quod in anterioribus Capitulis præfati Procuratores tenuerunt locum ſuarum Prouinciarum; ordinatum fuit, vt ſederent poſt Prouinciales, ſed ſuffragia ferrent ſecundum ordinem ſuarum Prouinciarum.

Dum autem legerentur litteræ Sociorum, Pater Dionyſius Riccau Præſentatus S. Theologiæ Prouinciæ Cathaloniæ ſuſtinuit, ſe recipiendum eſſe in ſocium tanquam legitimè electum in Capitulo celebrato anno 1677. cum excluſione Patris Præſentati Michaelis Texidor & Ferrez electi in Capitulo habito ſecunda Februarij præſentis anni 1680. cuius controuerſiæ examen, cum fuiſſet commiſſum Iudicibus Cauſarum Ciuilium, ijque rationes vtrimque adductas retuliſſent Definitorio, decretum fuit, Patrem Michaelem Texidor eſſe legitimum ſocium.

Similitèr R.P.M. Simon Catayna præſentauit litteras Capituli Prouinciæ Sardiniæ, ex quibus conſtabat, in electione facta pro primo ſocio, ſe habuiſſe plura vota poſt R.P.M. Auguſtinum Pez, qui habuit quindecim, & legitimè electus fuit in primum ſocium, & prætendebat, ſe ſaltem admittendum eſſe in ſecundum ſocium, ob mortem Patris Angeli Coſsù nuper defuncti, & abſentiam Patris Ignatij Almanias, qui plura vota reportauit poſt defunctum: ſed quia nullum habuit votum in ſecunda electione, quæ facta fuit pro ſecundo ſocio (in iſta enim Prouincia primus, & ſecundus ſocius diſtinctis electionibus fiunt) fuit reiectus.

Idem poſtmodum ſuſtinuit, eundem Patrem Magiſtrum Auguſtinum Pez incurriſſe pœnas alienantium bona Eccleſiaſtica, quia vendidit quemdam cenſum; ſed auditâ relatione Iudicum cauſarum Criminalium, declaratum eſt, illum legitimè admitti poſſe ad ſuffragandum, & definiendum in præſenti Capitulo.

Aduerſus R. Adm. Patrem Ioannem Baptiſtam Fundani Prouincialem dictæ Prouinciæ Sardiniæ etiam obiectum eſt, cum commiſiſſe varia, & grauia crimina, eaque notoria eſſe, non ſolùm in Ciuitate

te Alqucrienſi, ſed etiam ferè in toto Regno, de quibus apparet per proceſſus inſtructos iuſſu Reuerendiſſimi Patris Vicarij Generalis. Illorum examen commiſſum fuit RR. Patribus Marcellino Pez de Quiros primo ſocio Caſtellæ, & Leonardo D'Aualos ſocio Beticæ; quorum relatione auditâ decreuerunt Patres, eum excludendum eſſe à gremio Capituli, & includendum carceri, donec pronunciata ſit ſententia.

In varijs ſeſſionibus habitis matutinis, & veſpertinis horis, à prima die Iunij vſque ad diem octauam, pluribus dubijs propoſitis, reſponſum eſt, ac multa ordinata fuerunt, quæ inter decreta referũtur, & lecta eſt Conſtitutio fæl.me. Clementis VIII. de largitione munerum, & aliæ conſtitutiones, & decreta ad S. Officium Inquiſitionis ſpectantia, necnon de eorum obſeruantia moniti ſunt Gremiales.

Die autem octaua, quæ erat vigilia Pentecoſtes, poſt Miſſam ſolemnitèr decantatam à Reu. Adm. P. Magiſt. Clemente Impellizzeri Prouinciali Prouinciæ S. Alberti, habita eſt eruditiſſima, & elegantiſſima oratio latina per Reu. Adm. Patrem Magiſtrum Anellum Ruſſum Prouincialem Daciæ, & Regentem Studij Generalis Neapolitani, de qualitatibus probi Prælati, quàm immediatè ſubſecuta eſt commemoratio Fratrum, & Benefactorum Ordinis per Reuerendos Patres Prouinciales, & pro eis perſolutæ ſunt preces in Conſtitutionibus præſcriptæ. Deinde omnes cantando Hymnum *Veni Creator Spiritus*, proceſſerunt ad locum Capituli, vbi Reuerendiſſimus Pater Magiſter Æmilius Iacomelli Vicarius Generalis humilitèr officium ſuum reſignauit,& cum culpas ſuas córam Ementiſsimo, ac Reuerendiſſimo D. Præſide dixiſſet, ac veniam ab omnibus popoſciſſet, omnes Gremiales egerunt ipſi ſummas gratias pro ſuo regimine, dolentes quod eorum iteratis precibus non potuerint impetrare vocem paſſiuam à Sanctiſſimo Domino,vt ipſum poſſent eligere in Priorem Generalem,vti peroptabant. Similitèr Prouincialibus ſuas culpas dicentibus nihil fuit obiectum.

Iſtis peractis Pater Seraphinus à Ieſu Maria Prouincialis Terræ Sanctæ, & Secretarius Capituli, legit nomina eorum,qui in illo vocem ſunt habituri, quæ fuerunt ſequentia.

Emi-

Eminentiſſimus, & Reuerendiſſimus D. Cardinalis de Alterijs Ordinis Protector, & Præſes Capituli.

Reuerendiſsimus Pater Magiſter Æmilius Iacomelli Generalis Vicarius Ordinis.

Adm.R.P.M. Ferdinandus Tartaglia Procurator Generalis Ordinis, Publicus Metaphyſicæ Profeſſor in Sapientia Romana, & Sacræ Congregationis Indicis Conſultor.

Pater Seraphinus à Ieſu Maria Prouincialis Terræ Sanctæ, & ſocius Reuerendiſſimi Patris.

Adm.R.P.M. Clemens Impellizzeri Prouincialis S. Alberti.

Adm.R.P.M.Ioſeph de Velaſco Prouincialis Angliæ.

Adm.R.P.M. Paulus Lombard Procurator Prouincialis Narbonæ.

Adm.R.P.M. Ioſeph Gambiraſi Vicarius Prouincialis Romæ.

Adm.R.P. Albertus à S. Germano Procurator Prouincialis Franciæ.

Adm.R.P. Archangelus à S. Mauritio Prouincialis Germaniæ inferioris.

Adm.R.P.M. Franciſcus Maria Garreri Prouincialis Lombardiæ.

Adm.R.P.M.Bernardinus Santini Vicarius Generalis Congregationis Mantuanæ.

Adm.R.P.Petrus Thomas à S.Io.Baptiſta Prouincialis Aquitaniæ.

Adm.R.P. M. Ioannes Gomez Barrientos Procurator Prouincialis Caſtellæ.

Adm.R.P.M. Ioannes Ioſeph Baños Prouincialis Hiberniæ, & Procurator Generalis Hiſpaniarum.

Adm.R.P.Martinus à S.Catharina Prouincialis Prouinciæ Prouincię

Adm.R.P.M.Antonius Maria Tuſchi Prouincialis Scotiæ, & Secretarius Ordinis.

Adm.R.P.M.Petrus Dominicus Vittori Prouincialis Tuſciæ.

Adm.R.P.M.Anaſtaſius Caſtillani Prouincialis Venetiarum.

Adm.R.P.Angelus à Conceptione Prouincialis Toloſæ.

Adm.R.P.M. Ioannes de Cancer Prouincialis Cathaloniæ.

Adm.R.P.Petrus Thomas à S. Iacobo Procurator Prouincialis Prouinciæ Germaniæ ſuperioris.

Adm.R.P.Angelus à S.Thereſia Prouincialis Vaſconiæ.

Adm.R P.Columbanus à S.Spiritu Prouincialis Turoniæ.

Adm.R.P.M. Angelus Monſignani Prouincial.s Saxoniæ.

Adm.

Adm.R.P.M. Felix Dura Villa Real Prouincialis Aragoniæ.
Adm. R. P. M. Cyrillus de Maria Vicarius Prouincialis Prouinciæ Neapolis.
Adm. R. P. M. Antonius de Cunha Definitor Generalis Prouinciæ Portugalliæ.
Adm.R.P.M. Leo Bonfilius Prouincialis Romandiolæ,atq; Piceni.
Adm.R.P.M. Anellus Ruſſus Prouincialis Daciæ.
Adm.R.P.M. Sebaſtianus Seſſa Prouincialis S. Angeli.
Adm.R.P. Præſentatus Ioannes de Ortega Procurator Prouincialis Beticæ.
Adm.R.P.M. Daniel Scoppa Prouincialis Bohemiæ.
Adm.R.P.M. Laurentius Carraccini Prouincialis Apuliæ.
Adm.R.P.M. Petrus Thomas Pugleſi Prouincialis Calabriæ.
Adm.R.P. Sebaſtianus à S.Paulo Procurator Prouincialis Prouinciæ Flandro-Belgicæ.
Adm.R.P.M.Hyacinthus Pelliccia Prouincialis Aprutij.
Adm.R.P.M. Auguſtinus Pez Definitor Generalis Sardiniæ.
Adm.R.P. Andreas de Caſtro Vicarius Prouincialis Prouinciæ Montis Sancti.
Adm.R.P.M. Angelus Auria Prouincialis Prouinciæ Sanctæ Mariæ de Vita.
Adm.R. P. Ioannes Baptiſta à S. Franciſco Prouincialis Gallo-Belgicæ.
Adm R.P.M. Hieronymus Aymus à S. Clemente Prouincialis Prouinciæ Pedemontanæ.
Adm.R.P.M. Ioannes Baptiſta Torta ſocius Reuerendiſs. Patris, & Prior Sancti Martini in Montibus de Vrbe.
Adm.R.P. Fælicianus à S. Maria Magdalena Prior Conuentus Pariſiorum.
Adm.R.P.M.Angelus Zoni Prior Conuentus S.Mariæ Tranſpontinę
Adm. R. P. M. Michael Cantelmus Prior Conuentus Maioris Neapolis.
Adm.R.P.M.Io.Baptiſta Mongiardini Prior Conuentus Drepani.

Socij Prouincialium.

R.P.M. Franciſcus Aſcanius Morgana primus ſocius) S.Alberti.
R.P.M. Ioſeph Marini ſecundus ſocius.)

Adm.

R.P. Andræas à S.Nicolao primus ſocius Narbonæ.

R.P.M. Stephanus Netti primus ſocius	Romæ
R.P. Baccalaureus Nicolaus Nicolai ſecundus ſocius	
R.P.M. Guilielmus Girardier primus ſocius	Franciæ.
R.P. Philippus à S. Iacobo ſecundus ſocius	
R.Adm.P. Ambroſius à S. Godefrido primus ſocius	Germaniæ inferioris
R.P. Remigius à S. Nicolao ſecundus ſocius	
R.P.M. Albertus Botti primus ſocius.	Lombardiæ
R.P.M. Carolus Maria della Porta ſecundus ſocius	
R.Adm.P.M. Angelus Gabriel Nidter Procurator Generalis, & primus ſocius.	Congregationis Mãtuanæ
R.P.M. Alexander Stroppa ſecundus ſocius	
R.P. Epiphanius à S. Bertholdo primus ſocius	Aquitaniæ
R.P. Caſimirus à S. Ioanne ſecundus ſocius	
R.P. Præſentatus Marcellinus Fez de Quirós primus ſocius	Caſtellæ
R.P. Præſentatus Matthæus de Villaſañe ſecundus ſoc.	
Adm.R.P.M. Antoninus Gayon primus ſocius	Prouinciæ
R.P.M. Angelus le Blanc ſecundus ſocius	
Adm.R.P.M. Stephanus Seraualli primus ſocius	Tuſciæ
R.P.M. Dominicus Pugliani ſecundus ſocius	
Adm.R.P.M. Ioſeph Tomada Definitor Generalis, & primus ſocius	Venetiarum
Adm.R.P.M. Vincentius Baſſi ſecundus ſocius	
R.P. Ioannes à Virgine primus ſocius	Toloſæ
R.P.M. Baſilius la Forge ſecundus ſocius	
R.P. Præſentatus Michael Texidor primus ſocius	Cathaloniæ
R.P. Præſentatus Albertus Pappel ſecundus ſocius	
Adm.R.P. Paulinus à S. Franciſco primus ſocius	Vaſconiæ
R.P. Leonardus à S.Macario ſecundus ſocius	
R.P. Alanus à Virgine primus ſocius	Turoniæ
R.P. Angelicus à S.Franciſco ſecundus ſocius	
R.P. Præſentatus Didacus Ramos primus ſocius	Aragoniæ
R.P. Baccalaureus Michael Sorribas ſecundus ſocius	
Adm. R.P.M. Albertus Caſtelli primus ſocius	Neapolis
R.P. M. Scipio Caſtaldus ſecundus ſocius	

R. P. Ioſeph Ribeiro ſecundus ſocius	Luſitaniæ
R P. M. Thomas Cantonus primus ſocius	Romandiolæ
Adm. R. P. M. Carolus Bartholi ſecundus ſocius	
Adm. R. P. M. Angelus Zanghi primus ſocius	Sancti Angeli
R. P. M. Angelus Pizzolanti ſecundus ſocius	
R. P. Præſentatus Leonardus de Aualos primus ſocius	Beticæ
R. P. Præſentatus Ioannes Caluo ſecundus ſocius	
R. P. M. Iacobus Planella primus ſocius	Apuliæ
Adm. R. P. M. Angelus Simoni ſecundus ſocius	
R. P. Baccalaureus Theodorus Donati primus ſocius	Calabriæ
R. P. Angelus della Valle ſecundus ſocius	
R. P. Marcus à Reſurrectione primus ſocius	Flandro-Belgicæ
Adm. R. P. Iacobus à Sancto Antonio ſecundus ſocius	
R. P. M. Nicolaus de Thoma primus ſocius	Aprutij
R. P. Cyrillus Pileati ſecundus ſocius	
R. P. Caſimirus à Panormo primus ſocius	Montis Sācti
Adm. R. P. Seraphinus ab Appogniano ſecūdus ſocius	
R. P. M. Andreas Maſtellone primus ſocius	Sanctæ Mariæ à Vita
Rs P. M. Ioſeph Veglianti ſecundus ſocius	
R. P. Romanus à Sancto Philippo primus ſocius	GalloBelgicę
R. P. Nicolaus à Sancta Thereſia ſecundus ſocius	
R. P. M. Angelus à Cruce primus ſocius	Pedemontis
R. P. M. Clemens à Sancta Cecilia ſecundus ſocius	

Perlectis ſupraſcriptis nominibus Eminentiſſimus Dominus Præſes, vt procederetur ad electionem Prioris Generalis, tertiò interrogauit: an in aliquo illorum noſceretur aliquod impedimentum, ob quod repellendus foret ab electionibus; & quamuis nullum fuiſſet propoſitum, dictus Eminentiſſimus Dominus Præſes, vi priuilegiorum Regularibus à Sancta Sede conceſſorum, omnes Gremiales, in quantùm opus eſſet, abſoluit ab omnibus cenſuris, ſententijs,& pœnis,diſpēſauitq;ſuper quauis irregularitate(exceptis tamenillis,quę ob defectus commiſſos circa electiones faciēdas in iſto Capitulo contractæ, vel ad forum contentioſum deductæ ſunt) ad effectum legitimæ electionis. Poſtmodùm, aſſentiente gremio, nominauit tres Scrutatores, tàm pro hac, quàm alijs electionibus in hocce Capitulo faciendis Reuerendos Adm. Patres

tres Magiſtrum Ioſephum Velaſco Prouincialem Angliæ, Angelum à Conceptione Prouincialem Toloſæ, & Michaelem Cantelmum Priorem maioris Conuentus Neapolitani, qui genuflexi iuramentum de ſecreto, & fidelitate ſeruandis circa electiones præſtiterunt. Lecti ſunt articuli primus, ſecundus, & tertius cap. 6. par. 3. Conſtitutionum, & Gremialibus, (qui erant numero centum, & quinque) diſtributæ ſunt ſchedulæ; ijq; genuflexi ſolitum iuramentum à tergo illarum impreſſum præſtiterunt; & ſinguli ſua ſuffragia in vrna repoſuerunt, quibus ex illa per vnum Scrutatorem extractis, & numeratis, reperta ſunt centum, & quinque, pro numero eligentium; Deinde illa euoluta, ac alijs Scrutatoribus oſtenſa, fuerunt ab eodem lecta, & publicata, ac per Secretarium, & tres alios ab Eminentiſſimo D. Præſidente nominatos, annotata; Ex quibus Reuerendus Adm. Pater Magiſter Ferdinandus Tartaglia Procurator Generalis habuit nonaginta tria, Pater Seraphinus à Ieſu Maria Prouincialis Terræ Sanctæ quinque, Reu. Adm. Pater Magiſter Hieronymus Aymo Prouincialis Pedemontij tria, Reu. Adm. Pater Magiſter Paulus à S. Ignatio Exprocurator Generalis vnum; Reu. Adm. Pater Columbanus à S. Spiritu Prouincialis Turoniæ vnum; & Reu. Pater Magiſter Giuſti, vnũ: & præmiſsâ trina per Eminentiſſimum Dominum Præſidem interrogatione, an iſta electio eſſet canònica? Omnibuſque affirmatiuè reſpondentibus, ipſe, ſuo; & aliorum eligentium nomine, dictum Reu. Adm. Patrem Magiſtrum Ferdinandum Tartaglia elegit, & legitimè electum, necnon virtute Priuilegiorum ab Alexandro IV. & Sixto IV. indultorum, confirmatum denunciauit: ſtatimque, combuſtis ſchedulis, omnes Gremiales, pro gratiarum actione tàm fælicis electionis, Hymnum *Te Deum laudamus* concinnentes, ad Eccleſiam, vnà cum Eminentiſs. Dño Protectore, & Illuſtriſs. Dño Zacharia, ſe contulerunt, vbi Reuerendiſs. Pater Generalis Profeſſionem fidei emiſit, & poſtea Altari deoſculato, ſedit à parte Epiſtolæ: eique omnes Fratres per manus oſculum, conſuetam obedientiam præſtiterunt.

Eodem die poſt Veſperas in Capella Pontificia decantatas, omnes Fratres ad eam ſe proceſſionaliter contulerunt, & pedes Sanctiſſimi Domini Noſtri ſunt deoſculati.

Et inde Eminentiſſimus Dominus Præſes ad Conuentum ſe tranſtulit, & proceſſum eſt per Definitores Generales (qui erant quadraginta ſex numero) ad electionem Procuratoris Generalis, præſtito prius à ſingulis ſolito iuramento, & per vnum ex ante nominatis Scrutatoribus extractis, ac numeratis, euolutis, perlectiſque (poſtquam alij duo ea vidiſſent) ſuffragijs, iiſque annotatis per Secretarium, & tres alios, Reuerendus Adm: Pater Magiſter Angelus Monſignani Prouincialis Saxoniæ habuit vota triginta ſeptem; Reuerendus Adm: Pater Ioſeph Tomada tria, Pater Seraphinus à Ieſu Maria Prouincialis Terræ Sanctæ duo; Reu. Pater M. Daniel Scoppa Prouincialis Bohemiæ duo; & Reu. Adm. Pater M. Antonius Maria Tuſchi Prouincialis Scotiæ, & Secretarius Ordinis vnum; & vnum repertum eſt album. Quam electionem omnes Gremiales, tertiò ab Eminentiſſimo Dño Cardinali Protectore interrogati, canonicam, & validam eſſe dixerunt; & illico Eminentiſſimus Dominus Præſes Reu. Adm. Patrem M. Angelum Monſignani, nomine ſuo, & omnium eligentium, in Procuratorem Generalem Ordinis elegit.

1 Ad implorandum auxilium Diuinum in Ordinis noſtri neceſſitatibus, ordinatum fuit, vt in ſingulis Conuentibus; tàm Fratrum, quàm Monialium Ordinis noſtri, poſt veſperas, vel Completoriũ, legatur in Choro Antiphona *Aue Stella Matutina &c.* cum ℣. *Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix &c.* & collectis ſequentibus: *Defende, quæſumus, Domine, Beata Maria ſemper Virgine intercedente, iſtam ab omni aduerſitate familiam, & toto corde tibi proſtratam, ab hoſtium propitius tuere clementer inſidijs.* Et *Omnipotens ſempiterne Deus, qui Montis Carmeli Ordinem &c.* & vt illi, qui Choro non interfuerint, illa etiam priuatim recitent.

2 Communi omium ſuffragio Sanctus Ioſeph electus eſt in Protectorem primarium totius Ordinis.

3 Quoniam in pluribus Prouincijs Ordinis noſtri, & apud RR. PP. noſtros Diſcalceatos, in confeſſione, quæ fit in initio Miſſæ, in Prima, & Completorio; poſt verba: *B. Mariæ ſemper Virgini* additur: *Patri noſtro Eliæ*, & poſt alia; *B. Mariam ſemper Virginem*, dicitur: *B. Patrem noſtrum Eliam*, & in quibuſdam Prouincijs non adduntur; vt vniformitas in ritibus Eccleſiaſticis neceſſaria ſeruetur, deinceps ab omnibus præfata verba addantur.

Sup-

4 Supplicetur Sanctiſſimo Domino pro impetranda facultate recitandi ſemel in Hebdomada de eodem Sancto Patriarcha noſtro, ſicuti recitant Patres Dominicani de Sancto Dominico, Auguſtiniani de Sancto Auguſtino, &c:

5 Vt officium Sancti Caroli Borromei) qui fuit Protector Ordinis noſtri) celebretur ſub ritu Duplicis maioris., nec non officium Sancti Ludouici Regis Franciæ, qui Fratres noſtros e Monte Carmelo adduxit in Galliam, eiſque Conuentum Pariſijs, & Recanæ in Prouincia Caſtellæ fundauit.

6 Denique vt nobis liceat recitare officium de Sancto Elpidio primo Epiſcopo Toletano, quem graues Authores aſſerunt eſſe noſtri Ordinis.

7 Commiſſum eſt Patri Seraphino à Ieſu Maria Prouinciali Terræ Sanctæ, vt perſequatur litem aduerſus Illuſtriſſimum Dominum Epiſcopum Atrebatenſem inchoatam coram S. Congregatione Rituum, pro reſarcienda iniuria Imaginibus Sancti Simonis Stockij illata.

8 Inſuper decretum eſt, vt, ſicut in Eccleſia poſt feſtum omnium Sanctorum fit commemoratio omnium fidelium Defunctorum, ita in noſtra Religione poſt feſtum omnium Sanctorum Ordinis noſtri, hoc eſt die 15. Nouembris, in omnibus Eccleſijs, tam Fratrum quam Monialium fiat commemoratio omnium Fratrum, & Monialium Defunctorum Ordinis noſtri; reciteturque totum officium Defunctorum prout eſt in fine Breuiarij, cum hac ſola collecta. *Inclina, Domine, aurem tuam ad preces noſtras quibus miſericordiam tuam ſupplices deprecamur, vt animas Fratrum, & Sororum Ordinis noſtri quas de hoc ſæculo &c.* & omnes Sacerdotes Miſſam dicant pro Fratribus, & Sororibus noſtris: Clerici verò & Conuerſi, necnon Moniales Sacram ſumant Euchariſtiam.

9 Præcipitur ſingulis Sacerdotibus in virtute S. Obedientiæ, vt ſtatim ac ipſis indicatum fuerit obijſſe vnum ex Fratribus ſuæ Prouinciæ, celebret Miſſam (ad quam ex iuſtitia eos teneri declaratur) & pro illo fructum ſpecialem, ſeu medium applicent, nec illum, aut illius partem vlli alteri, ob quamcumque rationem, applicare valeant.

10 Et vt ſemper cantetur Martyrologium in Prima, etiam quando illa non cantatur.

Quia

11 Quia Officium Sanctæ Vrſulæ & ſociarum ſub Ritu Duplicis minoris, quod in ſupplemento Ordinis noſtri impreſſo Lugduni anno 1674. continetur, nec fuit conceſſum Ordini noſtro nec lectiones propriæ ſecundi Nocturni à S. Congregatione Rituum approbatæ ſunt: inhibetur omnibus, ne illud officium celebrent, aut etiam lectiones ſecundi Nocturni recitent: alias obligationi ſuæ non facient ſatis.

12 Etiam ne quis vtatur Martyrologio impreſſo anno 1678. Pariſijs apud Clementem Gaſſe; quia meritò prohibitum fuit à Reuerendiſſimo Patre Æmilio Iacomelli tunc Vicario Generali, tanquam diſſonum autographo per illum approbato, & appocrypha continens.

13 Vbi, ob deperditionem inſtrumentorum, bellorum ſæuitia, aut alio infortunio cauſatam, ignoratur nomen Sancti Titularis alicuius Eccleſiæ noſtræ, vnus a Communitate Conuentus eligatur intra menſem, & Reuerendiſſimo indicetur.

14 Cum Inſtituti noſtri pars primaria, & quaſi eſſentialis ſita ſit in Orationis ſtudio, iugique cum Deo interna conuerſatione, omnibus enixè commendatur, vt non ſolum Orationi mentali (quæ bis in die ab omnibus in Choro fieri debet) diligenter interſint; ſed etiam totaliter ſolitudini, & ſilentio ſe dedant; vt iuxta Regulæ noſtræ præſcriptum, die, ac nocte in lege Domini meditentur; niſi Charitas, vel obedientia, proximorum ſaluti procurandæ illos alibi occupet.

15 Præcipitur, vt Religioſi noſtri titulum *Fratris* ab Eccleſiæ incunabulis inter Fideles vſitatum, & in Ordinibus Regularibus vſque modo conſeruatum, retineant, & à vocabulo *Confratris* (quod à nonnullis noſtrorum quandoque, etiam in libris, vſurpatur, magiſque Sæcularibus alicui Sodalitio immatriculatis congruit, quam Religioſis) prorsùs abſtineant.

16 Non pauci Superiorum, & Subditorum Ordinis noſtri in litteris patentibus, commiſſionibus, obedentialibus, & alijs ſcriptis vocabulum *Carmelitarum* vſurpant, omiſſo titulo *Fratrum Beatiſſimæ Dei Genitricis, ſemperque Virginis Mariæ de Monte Carmelo* à multis ſæculis, primùm per Chriſti-Fideles Ordini noſtro attributo, & per Summos Pontifices approbato, necnon indulgentia

tia pro ijs, qui nos *Fratres Beatiſſimæ Dei Genitricis*, *& Virginis Mariæ de Monte Carmelo nuncupabunt*, dictato; idque vt labori parcant: idcircò ne nos omittamus, quod ab alijs meritò nobis dari gaudemus, ordinatur, vt omnes, & ſinguli ſemper in quibuſcumque ſcriptis, & impreſſis, loco vocabuli *Carmelitæ*, apponãt, vel apponi curent titulum *Fratris*, aut *Fratrum Ordinis Beatiſſimæ Dei Genitricis, ſemperque Virginis Mariæ de Monte Carmelo*: & ſi qui id negligant, acriter corrigantur, & pro modo negligentiæ caſtigentur.

17 Omnibus Prouincialibus ſeriò iniungitur, vt quantociùs præclara facinora, & virtutes Fratrum, & Monialium, necnon perſonarum vtriuſque ſexus in noſtro tertio Ordine profeſſorum, quæ cum magnæ pietatis odore obierunt, per Fratres noſtros ad id idoneos, colligi, & conſcribi curent, & illicò ad Reuerendiſſimum Patrem deſtinent, quatenùs illa typis mandari queant: Et nominatim ordinatum eſt Reuerendo Patri Magiſtro Matthæo de Villafañe Doctori Salmanticenſi, & ſocio Prouinciæ Caſtellæ, vt quamprimùm hiſtoriam Venerab. Sororis Mariæ de Ieſu Conuerſæ in Conuentu noſtro de Pettafixa demortuæ, & Ven. Matris Agnetis Monialis Conuentus de Fontiberos ex his, quæ ſcripta ſunt compilet, & compendiet, illamque Reu. Adm. P. M. Ioanni Gomez Barrientos Bruxellas tranſmittendam conſignet.

18 Ad eiectionem incorrigibilium deputati ſunt pro Conſiliarijs Reuerendiſſimi Patris, RR. Adm. PP. Magiſtri Angelus Monſignani Procurator Generalis, Antonius Maria Tuſchi Prouincialis Scotiæ, & Secretarius Ordinis, Andreas Maſtelloni Prior Tranſpontinæ, & ſocius Reuerendiſſimi Patris Generalis, Thomas Cantoni, & Ludouicus Perez de Caſtro, & P. Seraphinus á Ieſu Maria Prouincialis Terræ Sanctæ, ac ſocius Reuerendiſſimi Patris Generalis.

19 Quia, atteſtante Sancto Spiritu, obedientia antefertur ſacrificijs, & victimis, ſine qua omnis ordo euertitur, & pax, ac Religionis vnitas perturbatur, ac tollitur, præcipimus, vt omnes Fratres noſtri cuiuſcumque ſuperioritatis, gradus, vel conditionis fuerint, debitam obedientiam ſuis Prælatis, & maximè Reuerenren-

rẽdiſſimo Patri Generali (cui in profeſſione ſolemni illam polliciti ſunt) exhibeant; quia non alitèr ſub profeſſione noſtra viuere poſſumus, niſi ſub vnius Prioris Generalis obedientia regamur; inhibemuſque in virtute ſanctæ obedientiæ, ne vllus noſtri Reuerendiſſimi Patris Generalis præceptis contrarietur; aut quaslibet litteras, ordinationes, vel prouiſiones illius retinere, occultare, aut, ne ſuum quantotiùs con ſequantur effectum vbicumque, quouis modo, & quauis occaſione impedire audeat, directè, vel indirectè, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ (cuius abſolutio Reuerendiſſimo Patri reſeruatur) & depoſitionis ab officio, ac perpetuæ inhabilitatis ad quodlibet, necnon priuationis vocis, & loci ipſo facto incurrenda.

20 Sub iiſdem pœnis etiam prohibetur ſubreptio, aut abreptio, & fraudulenta retardatio litterarum à Superioribus ad ſuos inferiores, & inferiorum ad ſuos Superiores miſſarum, quorum nomine intelliguntur etiam Aſſiſtentes eorum, Socij, Secretarij, & alij de eorum familia: & iſtorum abſolutio eidem Reuerendiſſimo Patri reſeruatur.

21 Plerique Gremialium Prouinciarum Hiſpaniæ expoſuerunt, quod Patres Franciſcani, Auguſtiniani, Mercenarij, & aliorum Ordinum Religioſi, temerè, & imprudentèr, tàm in Concionibus, quàm in Summarijs Indulgentiarum impreſſis prædicent, & doceant omnes Indulgentias Confratrum S. Scapularis, ac ipſum priuilegium Sabbathinum, virtute communicationis generalis priuilegiorum Ordinibus Mendicantibus conceſſæ, communicari Confratribus dictorum Ordinum; ideò ordinatum fuit recurrendum ad S. Congregationem Indulgentiarum pro opportuno remedio; quod R.A.P.M. Procurator Generalis Ordinis quantociùs præſtare curabit.

22 Cùm Reu. Pater Felicianus à S. Maria Magdalena Prior Collegij noſtri Pariſienſis expoſuiſſet, ſe habere quædam proponenda, quæ credit neceſſaria pro rectiori regimine dicti Conuentus, ordinatum eſt, vt illa à Prouincialibus Prouinciarum Galliæ, & dicto Priore, quamprimùm examinentur, & ſuper illis ſenſum ſuũ ſcripto declarent; A quibus cum communi conſenſione reſolutũ eſſet, omninò neceſſarium eſſe, vt ex ſingulis Prouincijs duo Sa-

cerdotes probatæ virtutis, & doctrinæ affiliarentur, à Definitorio generali decretum eſt, vt eius authoritate,& nomine, Reuerendiſſimus Pater Generalis illam modis, & tempore opportunioribus exequeretur.

23 Reu. Adm. Pater Magiſter Ioſeph Tomada Definitor Generalis Prouinciæ Venetiarum, nomine Reu. Matris Sororis Mariæ Angelæ Venturæ à Sanctiſſimo Sacramento Fundatricis quatuor Conuentuum Monialium noſtri Ordinis in Statu Veneto, exhibuit Conſtitutiones pro dictorum Conuentuum regimine conditas; quæ, poſt examen, & approbationem Commiſſariorum ad id deputatorum, approbatę, & confirmatę fuerunt, & ordinatum eſt, vt illæ impoſterùm in dictis Conuentibus erectis, & poſtmodum, Deo adiuuante, erigendis, exactè obſeruentur.

24 Pro parte Monialium noſtri Ordinis Conuentus ſub titulo Annunciatiouis Beatiſſimæ Virginis Mariæ Barcinonæ à viginti circitèr annis erecti, expoſitum fuit à Reu. Adm. P. Mag. Ioanne Cancer Prouinciali Cathaloniæ, quòd in initio illius fundationis ſtatutum fuerit tantùm viginti vnam Moniales numero poſſe in eo recipi; quodque experientia compertum ſit, ob infirmitates, quibus non infrequenter aliquæ corripiuntur,& ob miniſteria infirmis per alias exhibenda,aliaque ſeruitia domeſtica,vix officium Diuinum, vti decet, poſſe ritè perſolui; ideòque, illis ſupplicantibus, permiſſum fuit, vt numerus illarum ad triginta tres augeatur, ſi prouentus, & eleemoſynæ illis alendis ſufficiant.

25 Auditâ relatione duorum Commiſſariorum deputatorum pro examine appellationis interpoſitæ per Patrem Irenęum à S. Cyrillo nuper Priorem Conuentus Caſtri-Nouarij in Prouincia Toloſana, aduerſus ſententiam, qua Reu. Ad. P. Prouincialis illum à dicto Prioratu depoſuit,quamq;appellans dicebat inualidā,vtpotè latam ſine proceſſu in ſcriptis formato, & non ſeruatis ijs, quæ ſecundùm ordinem iudiciarium apud Regulares ſunt ſeruanda; & iniuſtam, quia negabat culpas ſibi impoſitas fuiſſe probatas: Prouincialis autem aſſerebat de culpis conſtare ex ſcrutinio ſuæ viſitationis, & ſe verbaliter interrogaſſe Appellantem ſuper dictis culpis coram Communitate capitulariter congregata, & illum ab ipſis non ſe expurgaſſe; adeòque remanſiſſe conuictum, & conſe-

quen-

quenter fuiſſe legitimè depoſitum à ſuò Prioratu,ſecundùm Conſtitutiones part.4. c.16. §. vnic. & c.18. §.4. quæ ad eiuſmodi depoſitionē non requirunt proceſſum in ſcripto formatū: & quod ab ea potuerat appellare, quia non fuerat depoſitus ob culpas infamiam inferentes, quo caſu dumtaxat appellatio permittitur à Conſtitutionibus p.4. c. 3. §. 1. & partibus etiàm in contradictorio auditis, tandem ordinatum eſt, vt appellans curet adferri ſcrutinium, & acta viſitationis, ex quibus Reuerendiſſimus iudicabit, an benè, vel malè iudicatum ſit; ſententia interim in ſuo robore permanente. Et quia dictus Pater Irenęus coram Definitorio generali effutiuerat aliqua verba lædentia honorē ſui Prouincialis, Illuſtriſſimus Dominus Vice-Præſes iuſſit præfatum Patrem Irenæum genuflectere, & veniam deprecari à toto cœtu, & à ſuò Prouinciali, quod fecit. *Allatis poſtmodùm ſcrutinio, & Actis Viſitationis, ex quibus conſtabat de aſſertis à Prouinciali, illius ſententia fuit confirmata.*

26 Proteſtatio facta eſt per Prouincialem Prouinciæ Prouinciæ aduerſus ſeparationem Conuentus Niceenſis à ſua Prouincia, & vnionem Prouinciæ Pedemontanæ: illoq; inſtante, ordinatum fuit Prouinciali Pedemontanæ, vt illi quamprimum traderet copiam authenticam Breuis Apoſtolici, quo dicta ſeparatio decreta fuit.

27 Abrogatum fuit decretum factum in Capitulo Prouinciæ Tuſciæ anno 1676. quo ſtatuebatur, vt ſumptus pharmacorum, & alij pro infirmitatibus Prouincialium ſoluerentur à Conuentu, cuius eſſent filij; & ſancitum eſt, vt ſeruetur art.3. cap.20. par.1. Conſtitutionum.

28 Inſtante P. Ioanne Baptiſta Mazuel Alumno Conuentus noſtri maioris Pariſienſis, & conſentientibus omnibus Prouincialibus Prouinciarum Galliæ, ordinatum eſt, vt in ſingulis Conuentibus illarum, quamprimùm cantetur vna Miſſa pro omnibus Fratribus Defunctis dicti Conuentus: & deinceps quoties aliquis Profeſſorum dicti Conuentus diem ſupremum obibit, pro eo etiam Miſſa ab iiſdem cantetur.

29 Cùm poſtulatum eſſet, declarari an inter Reformatos Aſſiſtentes Prouincialium, extra tempus viſitationis, in actibus Regularitatis, dum ab illis abſunt Prouincialis & Prior, debeant facere

ſigna

ſigna pro illis, vel Suppriores; id remiſſum eſt arbitrio Capitulorum Prouincialium.

30 Impoſterùm nullus Filius alicuius Prouinciæ, vel Conuentus ad alteri Prouinciæ, vel Conuentui affiliari poterit, abſque expreſſo conſenſu vtriuſque Prouinciæ, vel Conuentus, capitulariter præſtito, & licentia Reuerendiſs. P.; aliàs affiliatio ipſo facto erit irrita, & nulla.

31 Perpenſis rationibus adductis in relatione Commiſſariorum deputatorum pro examine validitatis profeſſionis per Fratrem Theodoſium à S. Alberto habitu noſtri Ordinis donatum, & probatum in Nouitiatu Conuentuum Reformatorũ Prouinciæ Narbonenſis, emiſſæ extra dictum Conuentum Nouitiatus, ex quo clam, & inſcio Priore egreſſus eſt; dicta profeſſio inuenta eſt nulla, & inualida, vtpote recepta à perſona incompetente, ſcilicet defuncto R. P. Timotheo à S. Paulo tunc Prouinciali; cui, ſicut & alijs Prouincialibus, per Breue fæl. me. Vrbani VIII. Statuta Reuerendiſſimi Patris Philippini, & decreta R. P. Marci à Natiuitate B. V. eiuſmodi authoritas adempta eſt, & ſoli Vicario Cõuentuum Reformatorum attributa; etiam quia facta fuit poſt, & contra oppoſitionem formatam, & intimatam dicto Prouinciali per Priorem, & Gremiales Conuentus Diuionenſis (in quo erat inſtitutus Nouitiatus) qui eum tanquam ineptum Religioni, è Nouitiatu dimittendum, iudicauerant: quod ipſi Fratri Theodoſio inthimatibur, vt ſeruatis ſeruandis, Nouitiatum inchoet in alia Prouincia, prout poſtulauit à Definitorio.

32 Cùm nomine Priorum Monſpelij, & Lunelli, & aliorum Religioſorum dictæ Prouinciæ Narbonenſis, ſupplicatum eſſet, vt, non obſtantibus decretis dicti Patris Marci à Natiuitate quondã Commiſſarij Generalis, & Viſitatoris Apoſtolici ſubdelegatis illi, & omnes alij, qui probati, & profeſſi ſunt in Reformatione, eiuſdẽ filij declararentur; & Procurator Vicarij Prouincialis Conuentuum Reformatorum reſpondiſſet, iſta decreta pridem confirmata fuiſſe per Sententiam Illuſtriſſimi, ac Reuerendiſſimi D. Archiepiſcopi Pariſienſis Iudicis in iſta parte delegati per fæl. mem. Clementem X. quæ tranſiuit in rem iudicatam; atque adeò Definitorium nihil poſſe contra illorum tenorem decernere, conſen-

tiente Procuratore Reu. Patris Prouincialis, determinatum eſt, iſtam declarationem poſtulandam eſſe à Sanctiſſimo Domino.

33 Quia dictus Clemens per litteras in forma Breuis expeditas die 13. Iunij 1670. officium Aſſiſtentium Generalium ſuſpendit vſque ad proximum Capitulum Generale, & in eo voluit examinari, an expediat Religioni, vt decretum de dictis Aſſiſtentibus conditum in Capitulo Generali 1660. aboleatur in totum, & modus pro forma gubernij à Conſtitutionibus præſcripti reſtituatur? Ipſa die Pentecoſtes id fuit propoſitum, vt die ſequenti per ſuffragia ſecreta definiretur; & iſta die, quæ erat decima Iunij, in ſeſſione matutina, re maturè perpenſa, ex quadraginta, & vno calculis, reperti ſunt triginta duo negantes retinendos eſſe Aſſiſtentes, & nouem affirmantes, ideò communi omnium ſuffragio, dicti Aſſiſtentes in perpetuum ſuppreſſi, & aboliti ſunt.

34 Propoſitum fuit, an Reuerendiſſimus Pater Æmilius Iacomelli Ex-vicarius Generalis, qui Ordinem tribus annis, & ſex menſibus gubernauit, deberet potiri honoribus, præeminentijs, & omnibus prærogatiuis, quæ de iure, & vſu competunt ijs, qui fuerunt Priores Generales; & omnes vna voce dixerunt, id ipſi debitum eſſe, ob illius rectiſſimum, laudabile, & pacificum regimen; hocq; intuitu, de vnanimi omnium Definitorum conſenſu, illa omnia ipſi conceſſa fuere.

35 Inſtantibus quibuſdam Prioribus, & Fratribus Prouinciam Montis Sancti diuidi in duas, oppoſitum fuit à Reu. Patre Vicario Prouinciali illius, iſtam diuiſionem poſtulatam fuiſſe à Sanctiſſimo Domino Noſtro, qui Oratores remiſit ad Sac. Congregationem Concilij; & decretum eſt à Definitorio, ſi ita ſit, eoſdem ibidem debere perſequi dictam poſtulationem.

36 Decretum eſt, Capitulum Prouinciæ Aquitaniæ celebrandum eſſe feria ſexta poſt Dominicam tertiam à Paſchate Anni proximi 1681. Et poſtmodùm ſemper habebitur eadem die poſt expiratum tempus ſolitum officij Prouincialis, niſi, exigente iuſta ratione, Capitulum Generale, vel Reuerendiſſimus Pater alitèr ſtatuerint.

37 Et declaratum eſt, quod munus Profeſſoris Regij, quo vnus noſtrorum Religioſorum fungitur in Vniuerſitate Cadurcenſi,

cum non reddat inhabilem ad officia Prouincialatus, & Prioratus.

38 Viſo Acto, quo die 23. Aprilis 1676. R. P. Maurus à Puero Ieſu tunc Prouincialis Prouinciæ noſtræ Vaſconiæ, ſolus,& abſque concurſu Illuſtriſſimi Domini Ordinarij,Profeſſionē Fratris Theophili à Sancto Richardo declarauit nullam, dictoque Fratri liberum eſſe viuere, ac manere in ſtatu ſæculari ; & alijs ſcriptis exhibitis per dictum Fratrem, auditoque R. Adm. P. Prouinciali Vaſconiæ; ſententia dicti P. Mauri declarata eſt temeraria, nulla, & irrita; & Prouincialem teneri præfatum Fratrem recipere ad Ordinem, ſaluo iure ſuperiorum reclamandi coram legitimis Iudicibus contra illius Profeſſionem, ſi illam credant inualidam eſſe.

39 Cum libellus ſupplex pro parte Prouinciæ Franciæ Sanctiſſimo Domino noſtro porrectus, quo petitur declarari, an Breue fæl. mem. Vrbani VIII. confirmatorium Nouitiatus, per Reuerendiſs. P. Theodorum Statiū Generalem inſtituti in Conuentu Cadomenſi, tollat facultatem,per Conſtitutiones Reformationis ab eodem Vrbano VIII. confirmatas, conceſſam Prouinciali, & Definitoribus transferendi dictum Nouitiatum ad alium Conuentum, fuiſſet remiſſus ad Eminentiſſimum Cardinalem Protectorem, vt ſuper eo audiret ſenſum Capituli Generalis; illumque ſuæ Sanctitati referret; & Definitores Generales cenſuiſſent facultatem Prouincialis,& Definitorum Prouinciç per iſtud Breue non eſſe ſublatam,nec ligatā; Sanctiſſimus declarauit Eminentiſs. D. Protectori dictum Breue non obſtare facultati Superiorum transferendi prçfatum Nouitiatum ad alium Conuentum,ſed id non eſſe modò faciendum.

40 Præceptum eſt Prouinciali Aprutij nunc,& pro tēpore exiſtenti,vt in admiſſione Cādidatorum ad habitum noſtræ S. Religionis, ſemper, cæteris paribus, Indigenas quibuſcumque exteris præferat.

41 Quia in ſententia Arbitrorum latā pro definitione contrauerſiarum tunc vertentium inter Prouincialem, & Definitores Prouinciæ Turoniæ ex vna, & Moniales Monaſterij de Nazareth prope Venetum in Britannia minori ſiti ex altera partibus, per Reuerendiſſimum P. Mattheum Orlandum tunc Generalem Ordi-

nis;

nis, ſub certis conditionibus approbatâ, & confirmatâ, cauetur, quod Prouinciales Turoniæ (quos dictus P. Orlandus, ſuo, ſucceſſorumque ſuorum nomine inſtituit Commiſſarios Generales, ad effectum dumtaxat viſitandi Vicarium, & Confeſſarios dicti Monaſterij, tempore, & modo in dicta ſententia expreſſis,) in ſua viſitatione audient ſeparatim omnes, & ſingulas Moniales habentes vocem & locum, ſi ita exprimatur in commiſſione Patris Generalis; aliàs quod omnes audientur ſimul, & publicè circa vitam, & mores præfatorum Vicarij, & Confeſſariorum dumtaxat: & manifeſtum eſt quod delicta ſecreta, ſi quæ eſſent (quod abſit) in eiuſmodi ſcrutinio publico nequaquam aperiri poſſint, quodque is modus audiendi Moniales nihil vtilitatis, ſed multas auerſiones, odia, rixas, ac inimicitias parere queat; vt eiuſmodi viſitationes, non tantum defungendi muneris ſimulatione, ſed veraciter, & cum fructu fiant; ordinatum eſt, quod deinceps præfati Prouinciales in omnibus viſitationibus poſthac faciendis, audiant in ſcrutinio ſeparatim, & ſecretò omnes, & ſingulas Moniales, tam Choriſtas, quàm Conuerſas, quæ iuxta præceptum ſibi impoſitum, tenebuntur in conſcientia declarare ea, quæ erunt declaranda circa vitam, & mores Vicarij, & Confeſſariorum dumtaxat, ad quod ex nunc in perpetuum data eſt dictis Prouincialibus plena authoritas.

2 Viſo articulo Conſtitutionum ante ducentos annos conditarum pro dicto Monaſterio de Nazareth tenoris ſequentis. *Totus Conuentus Monialium, Capitulo prius celebrato, & duabus partibus ex tribus, vel maiori ex parte conſentientibus, poterit ſcribere Priori Generali, etiam inſcijs Viſitatore, & Confeſſore, pro afferendo remedio culpis commiſſis: ſed vlla Monialis non debet ipſi priuatim ſcribere; & etiam ipſi ſoli fides non tribueretur*: & attento quod eiuſmodi Statutum haud exigua regulari diſciplinæ detrimenta, correctioni culparum retardationes, & impedimenta, ac conſcientijs perturbationes, aliaque mala generare poteſt; Definitorium illud, reuocauit, & abrogauit; declarauitque, omnes, & ſingulas Moniales, poſſe ad quoslibet ſuos Superiores, & Priorem Generalem, pro quacumque re ad ſe, vel ad Monaſterium attinente, etiam pro caſtigatione culparum, vel remedio illis procurando, litteras

 ſcri-

ſcribere, ſine cuiuſcumque conſenſu, vel licentia, inhibetque in virtute S. Obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, & Reuerendiſſimo Patri reſeruatæ, omnibus noſtri Ordinis Alumnis, cuiuſcumque conditionis, aut ſuperioritatis exiſtant, ne litteras à Monialibus dicti Conuentus ad Patrem Generalem, aut eius Aſſiſtentes, vel Secretarios, vel ab his ad Moniales ſcriptas detineant, retardent aut aperiant.

43 Inſuper Decretum eſt, vt proceſſus inchoatus per R. P. Damaſcenum ab Aſſumptione tunc Prouincialem Turoniæ in ſua viſitatione dictorum Vicarij, & Confeſſariorum quamprimùm terminetur, iuxta inquiſitiones, interrogationes, reſponſiones, & cætera Acta ab, & coram dicto P. Damaſceno, quæ declarantur adhuc eſse valida, non obſtante lapſu temporis, quia ob cauſas à Definitorio Generali probatas, hactenus definiri non potuit. Et vt alia ad præfati Monaſterij rectius regimen neceſſaria, & congrua fieri poſſint ſecundum inſtructionem ſcriptis factam, Definitorium Generale ſuam commiſit authoritatem P. Generali.

44 Approbata, & confirmata eſt concordia facta die 3. Maij 1631 inter Magiſtros Prouinciæ Neapolis ex vna; & Magiſtros Conuentus maioris Neapolitani ex altera partibus, de vno ex altera parte illorum ſingulis triennijs eligendo in Prouincialem: & pro deciſione controuerſiæ inter eos vertentis, ordinatum eſt, quod R. P. M. Cyrillus de Maria modernus Vicarius Prouincialis dictæ Prouinciæ, illam regat ſub titulo Prouincialis vſque ad complementum triennij Defuncti Prouincialis; quo euoluto conuocabitur Capitulum, in quo eligetur in Prouincialem aliquis MM. dicti Conuentus, vel Grangiarum illius; & in ſequenti triennio vnus Magiſtrorum Prouinciæ: & ſic ſucceſſiuè, ac alternis vicibus in omnibus Capitulis: mortuo autem, vel aſſumpto, aut quomodolibet amoto Prouinciali, Generalis inſtituet Vicarium ex ea parte cuius erat Prouincialis, qui inchoatum triennium terminabit.

45 Quia reſolutio dubiorum propoſitorum à R. Adm. P. M. Ioanne Gomez Barrientos Procuratore Prouincialis Caſtellæ, nomine dictæ Prouinciæ, circa pacta, & leges reunionis dictæ Prouinciæ; & deciſio controuerſiarum in ea exortarum penitiorem exigunt diſquiſitionem, Definitorium Generale pro illis, & quacumque

alia

alia prouiſione,& ordinatione,vel diſpoſitine congrua, ad pacem ibidem inſtaurandam, commiſit ſuam authoritatem Illuſtriſſimo Domino Zachariæ, & Reuerendiſs. Patri Generali, ac RR. A. P.P. Procuratori Generali, & Prouinciali Terræ Sanctæ, etiam poſt Capitulum terminatum duraturam.

5 Eniixè commendatur R. A. P. M. Sebaſtiano Fantono Caſtruccio, vt elucubrando legendario Sanctorum Ordinis noſtri (quod cum obedientiæ merito inchoauit) omne ſtudium, omnemque diligentiam adhibeat; & iniungitur omnibus Prioribus Conuentuum Italiæ, vt ad minimum vnum exemplar illius, dum impreſſum fuerit, coemant.

7 Similiter ordinatum eſt omnibus Prouincialibus, vt aliqua exemplaria *Speculi*, *& Actorum*, *ſeu legendarij Sanctorum Ordinis noſtri* editum per R. A. P. Danielem à Virgine Maria, collocanda in Bibliothecis Conuentuum, quamprimum comparent.

8 Et iniunctum eſt R. A. P. Prouinciali Flandro-Belgicæ, vt Conſtitutiones pro Conuentibus, & Prouincijs ſtrictioris obſeruantiæ, recudi curent, iuxta exemplar anno 1656. Antuerpiæ impreſſum.

9 Quia multi Definitores Generales, ob immodicos, & inſolitos hâc tempeſtate calores, voluerunt diſcedere, ne quædam negotia remanerent indefinita, commiſerunt facultatem plenariam Definitoribus, in Vrbe remanentibus electiones faciendi, & ordinandi definiendi, ac decernendi ea, quæ neceſſaria, & opportuna videbuntur pro regimine Ordinis, ratum, & firmum habentes quidquid per illos actum fuerit, ac ſi ipſi omnes præſentes eſſent, & aſſenſum ſuum reipſa præbuiſsent,

10 Ad eliminandam confuſionem, quæ paſſim oritur ex titulis, qui indebitè à nonnullis in Ordine noſtro Fratribus adſcribuntur, declaratur, quod ſolus Generalis, & Ex-Generales, titulo *Reuerendiſſimi*; Procurator Generalis, Ex-Procuratores Generales, Prouinciales, Ex-Prouinciales, & Concionatores Regij, *Adm. Reuerendi*; Priores, & Magiſtri, *Reuerendi*; Sacerdotes, *Patris*; & cæteri *Fratris*, colloquendo & ſcribendo, compellabuntur.

11 Et quod nullus Procurator Prouinciarum poſſit vocari Procurator Generalis; ſub pœna priuationis officij, vocis & loci per trien-

triennium, iſtum titulum vſurpanti, aut ſcribenti, vel vocari permittenti, ipſo facto incurrenda; & eadem pœna priuationis vocis, & loci illos titulo Procuratoris Generalis vocanti, vel ſcribenti: ſed nominentur Procuratores illius, vel iſtius Prouinciæ in indiuiduo: & nominatim id interdicitur Religioſis Prouinciæ Caſtellæ, cuius Superiores de hoc moniti non paruerunt iuſſioni P. Vicarij Generalis.

52 Quia, poſt mortem R. P. M. Ioſephi Franciſci Piſenti Prouincialis Prouinciæ Romæ, R.P.M. Ioſeph Gambiraſi inſtitutus fuerat Vicarius vſque ad præſens Capitulum inclusiue, proceſſum eſt ad electionem Prioris Prouincialis die 16. menſis Iunij, & cum eſsent viginti octo eligentes, dictus P. M. Gambiraſi habuit 27. vota, & R. P. M. Simon Barghetti vnum.

53 Similiter expirante officio Prouincialis Prouinciæ Pedemontanæ (cuius officium, authoritate Apoſtolicâ prorogatum fuerat vſque ad preſens Capitulum) ab iiſdem Electoribus, viginti octo ſuffragijs electus fuit R. P. M. Michael à Sancto Ioſepho.

54 Etiam proceſsum eſt ad electionem Prouincialis Luſitaniæ, qui ſolum Dominica tertia poſt Paſcha anni 1681. & non ante regimen Prouinciæ ſuſcipiet; & viginti octo ſuffragijs electus eſt R. P. M. Michael à Sancto Spiritu.

55 Et quia innotuit Conuentus Prouinciæ Beticæ maxima premi egeſtate, & non poſſe ſuppeditare ſumptus neceſsarios pro Capitulo Prouinciali poſt Paſcha proximum celebrando, tum ob magnam ſterilitatem, & rei frumentariæ penuriam, quæ duobus vltimis annis fuit in iſtis partibus; tum ob valoris monetæ diminutionem, & ex iſtis coortam ſolitarum eleemoſynarum attenuationem; & attento quod graues diſcordiæ in duobus vltimis Capitulis ſuſcitatæ, & nedum prorſus ſedatæ, poſsent in dicto Capitulo recrudeſcere, Definitoriu Generale cupiens rebus, ac quieti & paci dictæ Prouinciæ proſpicere, decreuit dictum Capitulum eſse omittendum, & commiſit P. Generali, vt ad triennium inſtituat Prouincialem, & Definitores, qui ſuo zelo, prudentia, pietate, & bono exemplo animos diffidentes ad fraternam charitatem reducere, & detrimentum (ſi quod ex iſtis litigijs perpeſsa ſit Obſeruantia Regularis) reſarcire valeant. Illi ſua reſpectiuè of-

D ficia

ficia à Sabatho poſt Dominicam ſecundam à Paſchate proximo, & non ante incipiant, & in Congregatione Definitoriali tunc habenda, eligent Priores Conuentuum, & inſtituent alios Officiales, cæteraque facient, quæ in Capitulo Prouinciali, ſi celebraretur, facere poſsent. Præceptumque fuit, prout tenore præſentium præcipitur in virtute S. Obedientiæ, & ſub pœna priuationis officiorum, graduum, & vocis ac loci, ne vllus dictæ Prouinciæ, & aliorum Fratrum noſtri Ordinis executioni præſentis Decreti refragetur.

56 Examen & iudicium expoſtulationum P. M. Io: Caluo, tam ſuo nomine, quam aliquot Baccalaureorum, & Lectorum eiuſdem Prouinciæ Beticæ, & P. M. Velez nomine factarũ, remiſsum eſt Viſitatori iſtius Prouinciæ (iuxta Definitorij Generalis ordinationem proximè inſtituendo.

57 Expoſitum fuit primò, quod in poſtremo Capitulo Prouinciæ Caſtellę celebrato anno 1678. ſuſcitata ſunt magna diſſidia, lites, & iurgia, quę etiam ad extera tribunalia, cum ingenti Ordinis dedecore, delata ſunt, quæque grandes ſumptus pepererunt, aſcendentes ad ſummam octoginta octo millium Regalium monetæ de Billon, quæ in moneta Romana faciunt duo millia, & ſexcenta ſcuta. Secundò, quod cum pro illorum exolutione Superiores Prouinciæ (nullo prius reddito computu iſtarum expenſarum) cenſum annuum creaſsent ſine licentia S. Congregationis, & anno 1679. petijsẽt abſolutionem à pœnis contra alienantes bona Eccleſiæ ſtatutis, quas incurrerant, ab eadem S. Congregatione illis iniunctum fuit, vt dictum cenſum redimerent intra tres annos; Tertiò, quod tanta eſt inopia Conuentuum iſtius Prouinciæ, vt ſit ipſis impoſſibile iſtum cenſum, & alium creatum anno 1664. pro expenſis factis in viſitatione Reuerendiſſimi P. Generalis Ari, redimere. Quartò, quod coacti fuerint petere, & impetrare à Vicario noſtro Generali licentiam omittendi hoc anno Congregationem annuam Definitorialem, hac ſola ratione, quod Patribus de Definitorio non poſsent ſuppeditare expenſas pro acceſſu, & receſſu: Quam impoſſibilitatem, & inopiam in Definitorio Generali aſſeruit R. P. M. Ioannes Gomez Barrientos Definitor Generalis eiuſdem Prouinciæ, & conſequenter pro-

po-

poſitum fuit, verum ad auertendas eiuſmodi contentiones, diſſidia, & ſcandala, quæ forſan in proximo Capitulo retrudeſcerent, & ad parcendum ſumptibus faciendis pro dicto Capitulo poſt Paſcha proximū celebrando, quorum ſumma (ſi poſſit à Conuentibus ſubminiſtrari) meliùs in redemptionem, ſaltem partis iſtius cenſus, impenderetur, expediret, vt Definitores Generales pro plenaria authoritate ipſis per Conſtitutiones Ordinis par. 4. cap. 7. §. 1. conceſſa, inſtituendi, & mutandi Prouinciales prout eis videbitur, omiſſo pro hac vice Capitulo Prouinciali, inſtituerent Prouincialem, qui Dominica tertia poſt Paſcha proximum, & non ante, regimen Prouinciæ ſuſciperet, omneſque conſenſerunt, id faciendum; excepto dicto R. P. M. Ioanne Gomez Barrientos, qui ſe oppoſuit dictæ electioni; quo non obſtante præfati Definitores, innixi dictis Conſtitutionibus, pœnas rebellium imponentibus ijs, qui Decreto Capituli Generalis ſe oppoſuerint, ob iſtas iuſtas rationes, ordinarunt, procedendum eſſe ad præfatam electionem; à qua ordinatione dictus P. Barrientos appellationem emiſit: qua non obſtante, ita ordinante Definitorio, proceſſum eſt ad electionem: & cum eſſent viginti octo eligentes, (dictus enim P. M. Barrientos noluit ferre ſuffragium) R. A. P. M. Ioſeph Baños Prouincialis Hyberniæ habuit 27. vota, & R. P. M. Lucas Bueno vnum; & poſtquam Reuerendiſs. Pater Generalis ter interrogaſſet, an illa electio haberetur pro canonica, toties P. M. Barrientos ab eadem appellauit: nihilominus, quia eam reliqui Definitores tenebant pro legitima, Pater Generalis ſuo, & omnium Eligentium nomine, illum elegit, denunciauit, & confirmauit Prouincialem Prouinciæ Caſtellæ; contra quæ iterum ſe oppoſuit, & ad S. Congregationem, ac Sanctiſſimum Dominum appellauit dictus P. Barrientos, qui omnium Definitorum iudicio, conformiter dictis Conſtitutionibus, declaratus eſt incurriſſe pœnas rebellium, ob iteratas ſuas irrationabiles, & friuolas oppoſitiones Decreto Capituli Generalis, dimiſſuſque eſt ex loco Definitorij. Et quia in pactis, ſeu conditionibus reunionis Prouinciæ Caſtellæ ſtatutum eſt, quod *nullus poteſt eligi in Prouincialem, niſi priùs fuerit in officio Prioris probatus*; Reuerendiſſimum Definitorium, authoritate plenaria, qua pollet diſpenſandi, & dero-

 gandi

gandi dictis pactis & conditionibus, ſuper hoc articulo priùs diſpenſauerat cum dicto P. M. Baños; tum ob Procuratoris Generalis officium in Aula ſuæ Catholicæ Maieſtatis diligenter æquè ac fideliter, & cum magno labore adminiſtratum, & pluribus annis continuatas Lectiones Theologiæ Moralis, ad quas non tenebatur; tum ob aſſiſtentiam in hoc Capitulo Generali, aliaque motiua: &, in quantum opus fuiſſet, eidem articulo pro hac vice derogauerat.

58 Eadem die 16. Iunij, in ſeſſione pomeridiana, præfatus R. P. M. Ioannes Gomez Barrientos comparuit in Definitorio, cui aderat Eminentiſs. D. Cardinalis Præſes, & declarauit quod licet hodie horis matutinis ſeſe oppoſuerit, & appellauerit contra electionem faciendam Prouincialis Caſtellæ, & ab ea facta iterum appellauerit, ob quas iteratas oppoſitiones, & appellationes, iuxta Conſtitutiones declaratum fuit, illum incurriſſe pœnas in illis præſcriptas, nunc, re melius conſideratâ, dixit, ſe ſponté, & motu proprio, renunciare dictis ſuis oppoſitionibus, proteſtationibus, & appellationibus; dictam electionem gratam, & ratam habere, & ſuo, ac Prouinciæ ſuæ nomine conſentire, vt ſuum ſortiatur effectum; petijtque ſibi ignoſci, quod errauit contra obedientiam debitam Definitorio, dictaſque pœnas ei remitti, quod Em. D. Præſes, annuentibus Definitoribus, benignè indulſit. Similiter PP. Marcellini Fernandez de Quiros, & Mattheus de Villafañe Socij, ſeu Diſcreti dictæ Prouinciæ Caſtellæ die ſequenti horis matutinis ſponte comparuerunt, & declarauerunt, ſe etiam nomine Prouinciæ dictam electionem gratam, & ratam habere, eamque probare, & conſentire, vt ſuum ſortiatur effectum, ac oppoſitiones, proteſtationes, & appellationes à P. Barrientos factas improbare, & pro nullis, ac friuolis, & nulliter factis habere.

59 In ſingulis iſtarum electionum ſeruatæ ſunt omnes, & ſingulæ formalitates præſcriptæ in Decretali: *Quia propter. de elect.* Concilio Tridentino, & Conſtitutionibus Ordinis; fuerunt enim deputati tres Scrutatores, qui iuramento præſtito de fidelitate, & ſecreto ſeruandis, ſuffragia à ſingulis Definitoribus in vrna receperunt, eadem extraxerunt, numerauerunt, & euoluerunt, ea-

que

que vnus illorum, alijs duobus videntibus, legit, & publicauit, quæ à Secretario, & tribus alij annotata, & collata fuerunt, & ad trinam interrogationem factam per Reuerendiſſimum Patrem harum electionum Præſidentem, poſt ſingulas electiones de earum validitate, omnibuſque vnanimiter reſpondentibus eas eſſe canonicas, ipſe electos ſigillatim immediatè poſt ſingulas electiones, ſub, & omnium eligentium nomine reſpectiuè in Prouinciales elegit, denunciauit, & confirmauit.

60 Poſtea omnes Definitores Gen. nemine dempto, inſtitutionem Definitorum pro dictis Prouincijs commiſerunt P. Generali,

61 Eadem die 16. Iunij horis poſtmeridianis Præſidente Eminentiſſimo Domino Cardinali Protectore, exhibitus eſt liber impreſſus in folio, cuius titulus eſt: *Relacion Apologetica de todo lo ſuccedido en el viaje, que por orden de los Superiores de la Prouincia de Caſtilla del Carmen de obſeruancia, hizo de Madrid à Roma el M. Fray Iuan de Bonilla, Cathedratico de la Vniuerſidad di Salamanca, Calificador del S. Officio, Predicador de los de numero de Su Majeſtad, y Exprouincial de la miſma Prouincia di Caſtilla*, continens viginti nouem folia, & quadraginta tres lineas, ſine nomine Authoris, loco impreſſionis, & licentia imprimendi; qui, (vt apparet ex Decreto impreſſo, & ſubſcripto à DD. Inquiſitoribus Toleti die 22. Martij proxime præteriti, fuit prohibitus, *propter propoſitiones ſcandaloſas, offenſiuas, iniurioſas, & Sacram Scripturam malè interpretantes, quas continet*: in quo libro Author varias Perſonas Illuſtrioris notæ, tam exteras, quam domeſticas, contumelijs, conuitijs, & probris iniquè afficit, eorumque bonam famam dilacerat: & cum nefas ſit lectionem eiuſmodi libelli, non ſolùm Sermonibus iniurioſis, ſcandoloſis, Sacræ Paginæ textum ad profana detorquentibus, ſed & à vero alienis conflati permittere; Definitorium Generale, auditâ relatione eorum, quibus illius examen commiſſum fuerat, ordinauit, vt, conformiter Concilio Lateranenſi ſub Leone X. celebrato, liber ille publicè coram Communitate huius Conuentus Sanctæ Mariæ Tranſpontinæ comburatur; & omnibus noſtri Ordinis Alumnis, cuiuſcumque ſint ſuperioritatis, gradus, vel dignitatis prohibuit, ac tenore præſentium in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub pœna excommunicatio-

cacio-

cationis ipſo facto incurrendæ, prohibet, ne illum legere, aut apud ſe, vel alios tenere audeant, præcipitque, nec non præcipit, vt omnia exemplaria dicti libri, quæ penes ſe vel alios habent, ſtatim conſignent Reuerendo P. Priori, vel, eo abſente, Vicario ſui Conuentus; cui pari modo, & ſub eadem pœna excommunicationis, ac etiam depoſitionis ab officio ipſo facto incurrenda, iubetur, vt illa omnia, nullo reſeruato, coram Communitate igne abſumat.

62 Inſuper, vt conſulatur famæ eorum, quibus per iſtum librum iniquè ablata fuit: & ſaluti Authoris dicti libri (cui peccatum remitti non poteſt, niſi reſtitutâ priùs famâ ablatâ) conformiter SS. Canonibus in virtute S. Obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda præcipit, vt dictus Author abſtineat à Dominici Corporis, & Sanguinis participatione, donec ſe manifeſtauerit ad probanda conuitia in libro contenta, vel certè ad famam diffamatis reſtituendam.

63 Denique quia plura, vehementiaque ſunt indicia, quod dictus liber ab eodem M. F. Bonilla compoſitus fuerit, & ex inquiſitionibus iudiciaria authoritate factis conſtat, eum varia illius exemplaria varijs Perſonis diſtribuiſſe, & conſequenter, niſi deſignet Perſonam à qua illa habuit, præſumendum ſit, ipſum eſſe illius authorem; quia tamen inauditus damnari non poteſt; Definitorium committit R. P. Procuratori Generali Ordinis, vt curet per Commiſſarium, vel Commiſſarios in partibus deputandos, ſuper hoc aduersùs illum quamprimum inſtitui proceſſum, & per Fiſcalem inſtituendum inſtare, vt in pœnas infamiæ, irregularitatis, & alias per ſacras leges, Canonicaſque Sanctiones, Conſtitutionem B. Pij, & Statuta Religionis, nec non ad retractationem dictarum contumeliarum & iniuriarum (ad quam in conſcientia tenetur, & ſine qua ſalutem conſequi non poteſt) condemnetur.

64 Propoſitum fuit, an congruum foret Vicariam Braſiliæ, quæ habet duodecim Conuentus, erigere in Prouinciam; & re maturè diſcuſſa, auditoque primo Socio, & Procuratore Prouinciæ Luſitaniæ, iſtud negotium commiſſum eſt prudentiæ, & ſollicitudini Reuerendiſſimi Patris.

65 Seriò iniunctum eſt Commiſſario, qui viſitabit Prouinciam Ca-

Caſtellæ, vt audi is audiendis, compellat, etiam per cenſuras, ac ſuſpenſionem ab officio, Superiores Prouinciæ ad refundendas R. Admodum P. Mag. Donguilpen expenſas per eum factas pro Commiſſione Præſidentię Capituli Prouincialis dictæ Prouinciæ ſibi factā per Reu. Patrem Æmilium Iacomelli tunc Vicarium Generalem, rationemque reddere faciat de de datis, & acceptis ab omnibus illis, per quorum manus expenſæ præteriti Capituli Prouincialis factæ ſunt.

66 Quia hoc menſe Iunio expirat officium R. A. P. M. Elię Szablovvski Prouincialis Poloniæ, qui e Polonia diſceſſit, & peruenit vſque ad fines Italiæ, vt intereſſet huic Capitulo, & ob luem contagioſam graſſantem in Germania (per quam neceſſariò tranſire debuerat) ingreſſum Italiæ impetrare nequiuit, expeditioneſque pro celebrando Capitulo non poſſunt iſtic maturè peruenire, nec Gremiales, ob iſtius Prouinciæ vaſtitatem, citari, vt tempore congruo ad locum dicti Capituli conuenire valeant, decretum eſt, illud differendum eſſe vſque ad annum proximum, & regimen Prouinciæ relinquendum d. P. M. Eliæ Szablovvſki ſub titulo Prouincialis.

67 Expoſitum fuit, quod omnes Ex-Prouinciales Prouinciarum Toloſæ, & Vaſconię, per Reuerendiſſimum P. Heronymum Ari Generalem in viſitatione facta authoritate Apoſtolica, inſtituti fuerint Definitores perpetui, idque reuocatum fuerit à Reuerendiſſimo P. Mattheo Orlando Generali, & Viſitatore Apoſtolico anno 1669. & petitum deliberari, an eſſet congruum illud ius Ex-Prouincialibus reſtituere; cui ſe oppoſuerunt cæteri Prouinciales Prouinciarum Reformatarum; eo quod id directè contrarium ſit Conſtitutionibus ſtrictioris obſeruantiæ in forma ſpecifica à Sancta Sede confirmatis, & alijs Decretis à d. P. Orlando diu poſt ſuam viſitationem, etiam authoritate Apoſtolica conditis, proteſtatique ſunt ſcripto de nullitate cuiuſcumque ordinationis faciendæ contra tenorem Conſtitutionum, & ab illa ex tunc ad Sanctiſſimum Dominum appellarunt; petieruntque ſuam appellationem his actis inſeri; Omnibus itaque ritè penſatis, ordinatum eſt, quod rationes dictorum Ex-Prouincialium ſcripto exaratæ communicarentur opponentibus, qui ijſdem etiam ſcripto reſponderent,

rent, & omnia Eminentiſſimo D. Cardinali Præſidi conſignarentur, vt deſuper Sanctiſſimum Dominum conſuleret.

68 Ad præpediendas occaſiones abuſuum forſan commiſſorum, & committendorum occaſione priuilegiorum à Sancta Sede conceſſorum Monialibus noſtri Ordinis in Oppido Huenſi, & earum Confeſsarijs, quorum aliqui antehac de fructibus Eccleſiæ Parochialis Sancti Germani officio Confeſsarij annexæ pro libitu, etiam teſtamento, diſpoſuiſse dicuntur, & ſe ab Ordine independentes aſſerent, commiſsum eſt Reuerendiſſimo Patri Generali, vt iubeat, à Monialibus, & Confeſsario ſibi mitti copiam authenticam dictorum priuilegiorum, ad examinanda iura Religionis, & dictarum Monialium, ac illarum Confeſsarij.

69 Approbata eſt appendix legum municipalium facta pro Prouincia Montis Sancti, dummodo illa corrigatur conformiter annotationibus, & modificationibus expreſſis in relatione facta per Commiſsarios, quibus demandatum fuit examen dictæ appendicis, ex qua omnes Definitores vno ore (audito priùs R.P. Andrea à Caſtro Regali Vicario Prouinciali dictæ Prouinciæ) ordinarunt, expungi ſequentia verba, quæ habentur art. 10. *Fratrum Laicorum culpas cum Clericis in Capitulo Conuentuali fieri antiquiſſima conſuetudine receptum eſt; quam etiam ratam habemus iuſtis de cauſis*; eo quod apertè repugnent Conſtitutionibus Ordinis ante trecentos annos conditis, ſæpius per Capitula Generalia innouatis, ac à Sancta Sede in forma ſpecifica confirmatis annis *1636.* & *1639.* & antiquiſſimo, & nunquam interrupto vſui in toto Ordine, eiuſque Congregationibus tam Diſcalceatorum, quam Mantuaniſtarum hactenus ſeruato: Et conſuetudinem ibi allegatam, (quam à viginti circiter annis fuiſse per aliquem Superiorem improbatam, & interruptam, in Definitorio confeſsus eſt dictus Vicarius Prouincialis) inualidam, illegitimam, & intolerabili Conuerſorum ambitione attentatam, atque nimia Superiorum facilitate, & conniuentia diſſimulatam, abuſiuam, & iuri publico vniuerſi Ordinis contrariam declarauit; ordinauitque, vt dicti Fratres Conuerſi deinceps, ſub pœna priuationis Caputij, per ſuos Superiores cogantur ad dicendas culpas ſuas ante Clericos Profeſsos, conformiter Conſtitutionibus; & ijs dictis, ex Capi-

tulo

tulo recedant. Inſuper iniunxit R. A. P. Procurator Generali, vt (ſi opus fuerit) procuret à Sanctiſſimo Domino noſtro omnia, quæ ad præſentis Decreti executionem neceſſaria, & congrua erunt, nec non vt Breue Apoſtolicum à dictis Fratribus Conuerſis impetratum in menſe Auguſti 1679. declaretur ſub, & obreptitium, prout reuera eſt.

70 Similitèr, auditâ relatione Commiſſariorũ, approbata, & confirmata eſt *Collectio Decretorum pro exactiori obſeruantia Conſtitutionum Reformationis in Prouincia Flandro-Belgica conditorum, vel per Reuerendiſſimos PP. Generales Ioannem Antonium Philippinum, & Hieronymum Ari in ſuis viſitationibus, vel per Capitula, & Congregationes dictæ Prouinciæ, & à Reuerendiſſimis Patribus Generalibus confirmatorum, ſecundum ordinem dictarum Conſtitutionum digeſta*, cum licentia illam imprimendi.

71 Cùm ob maximam diſtantiam noui Conuentus Megaſtrienſis ab Illuſtriſſimo Domino Barone de Garnier nuperrimè in Sileſia fundati, & extructi, necnon locupletiſſimè dotati, à Conuentu Straubingano, (vbi inſtitutus eſt nouitiatus Prouinciæ noſtræ Germaniæ ſuperioris) & difficultates, ac pericula viarum, & magnos ſumptus in itinere faciendos, Adoleſcentes ad habitum Ordinis noſtri aſpirantes, deterreantur ab iſto itinere; Definitorium decreuit, inſtituendum eſſe, prout tenore præſentium inſtituit Nouitiatum in dicto Conuentu Megaſtrienſi, datque facultatem Reu. P. Tilmanno à S. Elia illius Priori, & eius ſucceſſoribus Candidatos, cum quibuſdam Patribus à ſe deligendis, examinandi, ac etiam (attento, quod lues peſtifera liberum commeatum impediat, & Reu. Adm. Pater Prouincialis rarò poſſit ſe ad dictum Conuentum transferre) quos idoneos repererit habitu Ordinis noſtri donandi, ea tamen lege, vt ſtatim dictum Prouincialem de Nouitio veſtito, eiuſque ætate, familia, moribus, naturæ dotibus &c. moneant, & ab eo (dum per ſuffragia ſecreta Communitatis admiſſi fuerint) licentiam eorum profeſſionem recipiendi poſtulet; & quia pluribus annis educationi Nouitiorum præfectus fuit, & in dicto Conuentu nullus eo ad id aptior inuenitur, ipſum facit Magiſtrum Nouitiorum, non obſtante art. 1. cap. 4. par. 2. Conſtitutionum; ſuper quo, ob ante dictas rationes, pro hac vice diſpenſat.

E Ad

72 Ad inſtantiam R. Adm. P. Prouincialis Aragoniæ, & Sociorum ordinatum fuit omnibus Regentibus, ſeù Profeſſoribus, tàm Philoſophiæ, quàm Theologiæ, vt in dicta Prouincia deinceps legant, ſecundùm doctrinam V.P. noſtri Ioannis de Baccone.

73 Et vt in duobus Conuentibus dictæ Prouinciæ, vno ſcilicet partis Regni Aragoniæ, & altero partis Regni Valentiæ, per Definitorium inſtituatur aliquis ex noſtris, qui Fratres noſtros iuniores doceat Grammaticam: Illi verò ſic inſtituti, à nemine poſſint ab eiuſmodi munere remoueri, niſi ob culpam grauem legitimè probatam; & ſi per ſexdecim annos ritè functi fuerint iſto officio, eo ipſo erunt Præſentati de iuſtitia.

74 Quia diuturna experientia compertum eſt, quod Moniales Conuentuum Ordinis noſtri in dicta Prouincia Aragoniæ ægrè adducuntur ad ſuſcipiendum officium Prioriſſæ (quod ipſis, ob paupertatem, & inopiam dictorum Conuentuum, eſt difficile, & oneroſum) ordinatum eſt, quod illæ, quæ deinceps eligentur in Prioriſſam, illudque officium ritè adminiſtrauerint, ſemper, & vbique præcedent alias, quæ talia munia non obiuerunt, ſeruatâ inter eas ætate profeſſionis, & exemptæ erunt à lectionum recitatione in Choro.

75 Cum maximo, gratiſſimoque ſtupore audiuit Definitorium munificentiſſimam liberalitatem, & ſingularem erga Ordinem noſtrum affectum antememorati Illuſtriſſimi Domini Baronis de Garnier, qui non ſolùm Conuentum noſtrum Megaſtrienſem in Germania ſuperiori fundauit, extruxit, & dotauit, ac Strigouienſem reſtaurauit; ſed tres alios Conuentus in Sileſia nobis fundare, & dotare, ac Ordinem noſtrum in partibus illis Hæreticis penè extinctum, inſtaurare, & glorioſo nomine poſteris dare, fæliciter aggreſſus eſt; in quem finem, præter expenſas in ſumptuoſa fabrica, ornamentis Eccleſiæ pretioſiſſimis, ſuppellectile argentaria pro Sacris faciendis copioſiſſima, & Bibliotheca factas, duos pagos cum omnibus eorum cenſibus, & redditibus nobis ceſſit, & capitale 12. millium florenorum, (quorum ſinguli ſunt quinque iuliorum, & medij Romanorum) diuerſorum fundorum oppignoratione aſſecuratum, ijs adiunxit; aliud capitale 8400. florenorum Conuentui Strigouienſi donauit, & pro tribus alijs Cõuen-

uentibus in Sileſia ædificandis, & fundandis actualitèr dedit capitale ad cenſum iam expoſitum 32156. florenorum Germanicorum, quod capitale adhuc augere intendit; ita vt vix enarrari queat, quot pecuniarum ſummas tantus Benefactor in Ordinis noſtri decus, & vtilitatem iam expenderit: & quaſi tot beneficia generoſiſſimo illius animo, affectui, & pietati non ſufficerent, ſeipſum totum, cum Religioſis noſtris habitans, conueſcens, diurnos cibos ex propria menſa eis tribuens, & cum eis ſeruiens, Ordini noſtro, eiuſque propagationi indefinentèr ſuperimpendit, & ſe erga nos Patronum, Protectorem inſignem, largiſſimum Benefactorem, & Amantiſſimum Patrem vltra modum profitetur; vnde poſtquam Definitorium tantam magnificentiam, tantumq; affectum demiratum eſt; eam, quam totus Ordo noſter Illuſtriſſimo illi Benefactori, tot titulis deuinctiſſimus, ſibi exinde obuenire obligationem, & gratitudinis ſenſum, palam publicauit, & illam poſteris omnibus poſſibilibus modis tranſmittendam eſſe voluit, dictumque Illuſtriſſimum D. Baronem de Garnier tanquam vnum ex primarijs, & principalioribus Ordinis noſtri Benefactoribus perpetuò agnouit, omniumque bonorum ſpiritualium, quæ in noſtro Ordine fiunt, participem fecit, & per totam Religionem ſpeciales, feruentioreſque ad Deum pro illius conſeruatione, & longæua incolumitate, ac dum ex hac luce migrauerit pro illius animæ æterna ſalute, & perenni requie fundendas eſſe preces conſtituit; omnibuſq; Conuentibus, & Religioſis commendauit, & per præſentes commendat, & iniungit.

76 Decreuit Reuerendiſſimum Definitorium ſingulares ſuo nomine nobiliſſimo viro D. Gabrieli de Malepeyre Suæ Chriſtianiſſimæ Maieſtatis Conſiliario pro inſignibus in Ordinem vniuerſũ, & Conuentum præſertim Toloſanum, collatis beneficijs grates eſſe reponendas: & acta vnius, & alterius Capituli Prouincialis Toloſæ celebrati, velut aliqualia gratitudinis noſtræ monumenta laudauit, & approbauit; ipſumque & totam nobiliſſimã Familiam ſuam ad participationem bonorum omnium ſpiritualium, quæ in toto Ordine noſtro peraguntur, vt inſignes illius Benefactores, admittit, & ſpeciales pro ipſorum ſalute, & fœlici vitæ decurſu ordinat in ſingulis Prouincijs preces eſſe faciendas.

 Si-

77 Similiter inter inſignes Ordinis noſtri Benefactores reponendum eſſe cenſuit Illuſtriſſimum Dominum de Foucaud Præfectũ Regium in Aquitania; eique nomine totius Capituli Generalis maximas grates eſſe referendas, & ſingulares per totam Religionem pro ipſo,& nobiliſſima illius familia apud Deum habendas preces, ob multa inſignia Ordini noſtro collata beneficia, & ſpecialiter quod mediam partem Eccleſiæ Conuentus noſtri Mõtis Albani conſtruxerit, vnà cum Sacriſtia, eique vnum tabernaculum, & plura monumenta donauerit.

78 Item, quia Dominus Ioannes Matthias Houius frater R.P.Alberti à S.Germano Procuratoris R.P.Prouincialis Franciæ ſoluit fundum, in quo ædificatus eſt Conuentus noſter Veruienſis in Ditione Leodienſi,eidemque inſignem calicem argenteum deauratum, & quinquaginta volumina in folio Bibliothecæ eiuſdem dedit, aliaque beneficia contulit, Definitorium cenſuit inter primarios eiuſdẽ Conuentus Benefactores ipſum eſſe annumerandũ, dictique Conuentus Fratres ſpeciales ad Deum pro ipſo preces fundere debere.

Gratiæ, & Conceſſiones.

79 Reu. Adm. P. Magiſtro Ioanni de Silueira, qui Eccleſiam, & Ordinem tot inſignibus, egregiiſque voluminibus ditauit, vltra prærogatiuas anteà collatas, conceſſa ſunt priuilegia, quibus gaudent Prouinciales Titulares.

80 Reu. Adm. P. Mag.Ioannes Gomez Barrientos Definitor Generalis Prouinciæ Caſtellæ factus eſt Magiſter de iuſtitia extranumeralis, cum omnibus gratiis, & priuilegiis Magiſtris de numero conceſſis.

81 R.Adm.P.M.Ioannes Ioſeph de Baños Prouinciæ Caſtellę Profeſſus,necnon Procurator Generalis Ordinis in Aula Suæ Catholicæ Maieſtatis, qui tanquam Prouincialis Hiberniæ interfuit Capitulo, factus eſt Magiſter extranumeralis de iuſtitia,cum voce actiua in omnibus Capitulis ſuæ Prouinciæ, & Definitor, & Pater perpetuus eiuſdem Prouinciæ, necnon Conuentualis perpetuus Conuentus Matritenſis.

82 R.P. Ludouicus Perez de Caſtro Prouinciæ Caſtellæ Profeſ-

ſus,

ſus, qui Sacram Theologiam in Conuentu S. Mariæ Tranſponti-
næ quatuordecim annis, cum magna aſſiduitate, Studentium vti-
litate, & exterorum laude legit, inſtitutus eſt Baccalaureus, Præ-
ſentatus formatus, & Magiſter de iuſtitia; declaratuſque eſt pri-
mus Præſentatus de numero, iuxtà leges municipales dictæ Pro-
uinciæ: Vt autem numerus graduatorum in prædictis legibus de-
ſignatus intra præfatam Prouinciam ſemper conſeruetur, quam-
diù aberit à Prouincia, antiquior poſt ipſum, locum ſuum oc-
cupabit.

83 Infranominati Patres ex Prouincijs Hiſpaniæ, qui fuerunt Vocales in præſenti Capitulo Generali, iuxtà Ordinis conſuetudinem, facti ſunt Magiſtri, cum voce actiua in omnibus Capitulis Prouincialibus ſuarum reſpectiuè Prouinciarum. RR.PP. Michael Texidor, & Ferrer, qui fuit primus Socius Prouinciæ Cathaloniæ, & concluſiones ſuſtinuit: Albertus Papell, qui fuit ſecundus Socius: R.P. Præſentatus Sorribas primus Socius Prouinciæ Aragoniæ, qui concluſiones defendit: Reu. autem P. M. Didaco Ramos ſecundo Socio conceſſum eſt aſſiſtere Capitulis Prouinciæ, cum voce actiuâ. RR. PP. Baccalaurei Marcellinus Fernandez de Quiros primus Socius Prouinciæ Caſtellæ, qui Theſes propugnauit, & Matthæus de Villafañe inſtituti ſunt Præſentati, & Magiſtri extranumerales de iuſtitia, cum dicta voce actiua in Capitulis ſuæ Prouinciæ: R. P. Ioannes de Ortega, qui tanquam Procurator R. Adm. P. Prouincialis Prouinciæ Beticæ, & Definitor Generalis Capitulo interfuit, factus eſt Magiſter cum dicta voce actiua; & RR. PP. Præſentatus Leonardus de Aualos primus Socius, & Baccalaureus Didacus Ferrer, qui defendit concluſiones, facti ſunt Magiſtri de iuſtitia, cum voce actiua in Capitulis Prouincialibus: Denique R.P. Ioſeph Ribeyro ſecundus Socius Prouinciæ Luſitaniæ factus eſt Magiſter de gratia, cum voce in Capitulis Prouincialibus.

Declarationes Dubiorum.

84 Declaratum eſt, quod feria ſexta infra octauam Paſchatis, & in feſto S. Marci (ſi incidat intra dictam Octauam) Fratres noſtri non teneantur ad ieiunium, nec ad abſtinentiam.

Nec

85 Nec etiam tenentur ad ieiunium, vel abſtinentiam in ipſo feſto S. Marci, ſi, iuxta conſuetudinem locorum, in quibus habitant, in vigilia eiuſdem Sancti ieiunium anticipatiuè ſeruatum fuerit.

86 Item quod Ordo non intendat, vt litteræ affiliationis, quæ extra Religionem tàm Eccleſiaſticis, quàm Sæcularibus conceduntur, vlla ratione proſint ijs, qui reuerà non ſunt illius Benefactores, in rebus maximi momenti, & priuilegijs per dictas litteras conceſſis æquiualentibus.

87 Prouincialis in Capitulo, in quo eſt abſoluendus ab officio, nulla ratione eligi poſſit in Definitorem.

88 Moniales, in quacumque Prouincia earum Monaſteria ſita ſint, iuxtà Conſtitutiones Ordinis, immediatè ſubiectæ ſunt Reuerendiſſimo Patri Ordinis: & Prouinciales tanquam illius Delegati, (vbi non ſunt inſtituti Vicarij) ſemper poſſunt contentioſam; & voluntariam in illas iuriſdictionem exercere, etiam extra tempus viſitationis, teneanturq; Moniales Prouincialium mādatis obedire, niſi aliter ipſe P. Generalis ordinauerit.

89 Procurator Generalis Ordinis, eiuſque Secretarius, & Conuerſus ſemper fuerunt, & ſunt immediatè ſubditi Reuerendiſſimo Patri Generali: eodemq; iure gaudent alij Procuratores Generales inſtituti pro Aulis Imperatoris, & Regum, ſinguli cum vno Socio Sacerdote, & vno Conuerſo per ipſos reſpectiuè eligendis: inſupèr eodem loco, ſeù præcedentia fruuntur qua Prouinciales titulares; non tamen voce in Capitulis Generalibus: nullus autem illorum iſtud munus exercere poterit, nec iſtis priuilegijs frui ſub pœna inhabilitatis ad illud, niſi priùs ſecundùm Conſtitutiones, ſolitum fidelitatis iuramentum præſtiterit, & de eo cōſtet per actum à Reuerendiſſimo Patre, & Secretario Ordinis ſubſcriptum. Illi autem, & ſui Socij ex nunc pro ſemper declarantur, eſſe, & fore de familia Conuentus, in quo ratione ſui officij demorabuntur, à quo ipſis, ſicut & cæteris de dicta familia, ſuppeditabuntur omnia ad victum, & amictum neceſſaria.

90 Cum P. M. Georgius Acoſta Filius Prouinciæ Beticæ, virtute facultatis à P. M. Hieronymo Ari Generali conceſſæ anno 1664. *diſponendi intra Religionem de ijs, de quibus iuxtà Conſtitutiones, diſponere poſſunt Exprouinciales &c.* & confirmatæ ab Illuſtriſſimo D. Nun-

D. Nuntio Hiſpaniæ anno 1676. diſpoſuiſſet de pluribus mobilibus pretioſis, & P. M. Æmilius Iacomelli Generalis Vicarius dubitans de validitate huiuſmodi diſpoſitionis, ſupplicaſſet Sanctiſſimo Domino declarari Primò, an diſpenſatio dicti P. Acoſta eſſet valida: Secundò, an Profeſſi noſtri Ordinis iuxtà §. 2. c. 22. par. 1. Conſtit. Ordinis poſſent diſponere, S. Congreg. EE. S.R.E. Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum (quibus Sua Sanctitas vtriuſque dubij reſolutionem commiſerat) ad vtrumque reſpondit *Negatiuè*, die 26. Martij 1678. vt latiùs continetur in declaratione impreſſa in fine præſentium Actorum: ideò conformiter iſti decreto, declaratur nullum Profeſſorum Ordinis noſtri poſſe diſponere de bonis, quæ ſibi ad incertum vſum permiſſa fuerint, & quidquid ſecus factum fuerit, irritum, & inane ipſo iure futurum eſſe.

91 Licet in Conſtitutionibus Ordinis p. 2. c. 1. n. 9. expreſsè caueatur, quod Prior Generalis Ordinis poſſit omnia facere, quæ ipſi Diffinitores Generales in Capitulo Generali facere poſſunt, exceptis dumtaxat abſolutionibus Priorum Prouincialium, liberè, & ſine culpa; & eorum Inſtitutionibus pro libito, vbi poteſt electio fieri; & aperitione ſigilli communis Ordinis; nihilominus à nonnullis quandoque mota ſunt dubia, etiam in iudicio, circa eiuſmodi ius, & authoritatem: quapropter vt impoſterùm omnis controuerſiæ, & litis præſcindatur occaſio, declaratum, ac decretum eſt, totam, ac plenariam iuriſdictionem totius Ordinis in Priore Generali, tanquam in ſupremo capite reſidere, ipſumque licitè, & validè potuiſſe, & impoſterùm poſſe facere ea omnia, quæ omnes, & ſinguli Religioſi Ordinis noſtri capitulariter congregati facere poſſunt in Capitulis, non ſolùm Conuentualibus, & Prouincialibus, ſed etiam Generalibus, exceptis ſupra recenſitis; & ijs quæ per Conſtitutiones, & Decreta Comitiorum Generalium interdicuntur; cætera enim non interdicta, aut reſeruata, ipſi conceſſa eſſe intelligantur; & ſignanter, quod poſſit diſpenſare ſuper Conſtitutionibus, decretis, legibus municipalibus, & quibuſcumque pactis, aut conuentionibus per Capitula Prouincialia conditis, aut factis ob rationabilem cauſam; in litteris diſpenſationis neceſſariò exprimendam.

De

92 Declaratum eſt etiam quod poſſit tranſmittere Viſitatores ad quaſcumque Prouincias, vbi, & quando ſibi expedire videtur, & quod (iuxtà antiquiſſimum Ordinis noſtri vſum) ius ipſi competat vltimam viſitationem cuiuſq; triennij in ſingulis Prouincijs per Commiſſarium (ſi ipſe nequeat) peragẽdi: & propterea deinceps à quolibet Prouinciali de expleto biennio ſtatim monebitur, vt pro ſua prudẽtia decernat, an vltima viſitatio ipſi Prouinciali, vel alicui Cõmiſſario ſit deleganda: necnõ quod ordinationes, & decreta à Commiſſarijs in viſitationibus condita, ſunt perpetua, ſi à Patre Generali fuerint confirmata.

93 Si quis autem ijs, quæ à P. Generali facta, aut ordinata fuerint iudicialiter, vel extraiudicialiter ſeſe oppoſuerit, eo ipſo irremiſſibiliter officio, gradibus, voce, ac loco priuatus maneat; & niſi ante octo dies à ſua oppoſitione deſtiterit, carceri includiatur, puniendus ad arbitrium ipſius Generalis.

94 Hinc declaratum etiam eſt, quod conformiter antiquiſſimis Religionis noſtræ Conſtitutionibus, ante trecentos, & triginta annos conditis; & poſtmodùm authoritate Apoſtolica innouatis, & anno 1636. à S. Sede in forma ſpecifica confirmatis, ac ſententia S. Congregationis, quoad ſequentia corroboratis, P. Generali ſemper licuit, & etiamnum licet, ac in futurum licebit, inſtituere Priorem, quem pro ſua conſcientia magis idoneum arbitratus fuerit, in quocumque Conuentu quarumcumque Prouinciarum, etiam Hiſpaniæ, ac Portugalliæ, non obſtantibus quibuſcumque pactis, ac legibus municipalibus in contrarium, quæ quantum ad hoc abrogantur, & ideò ſtatuitur, quod ſi quis deinceps Priorem, vel quemcumque alium Prælatum, vel Officialem ab eo inſtitutum ab ipſius officij functionibus directè, vel indirectè impediuerit, aut alium regimini dicti Conuentus titulo Prioris, vel Vicarij præfecerit, vel Officialem, etiam prouiſionalitèr inſtituerit, præter excommunicationem latæ ſententiæ ipſo facto incurrendam, officio, gradibus, & vtraque voce priuatus, ac inhabilis ad quocumque officium manebit, ſicuti & is qui fuerit illi præfectus, eo ipſo quod gubernium Conuentus quocumque titulo ſuſcipiet, aut officium adminiſtrare incipiet.

95 In Conuentibus autem, in quibus per Generalem de Priore, & alijs

aliſs Officialibus prouiſum non fuerit, eorum electio nunquam impoſterùm fiat per Capitulum Conuentuale, aliàs ipſo facto ſit irrita, & nulla, quacumque anteriori Conſtitutione, Decreto, Priuilegio, & conſuetudine in contrarium non obſtante, quia hæc omnia caſſantur, & irritantur; ſed, quocumque modo vacante Prioratu, ſtatim per primam vocem Conuentus, certioretur Prouincialis, qui, iuxtà Conſtitutiones Ordinis p. 4. c. 22. §. 1. prouidebit de Vicario vſque ad Congregationem intermediam, in qua ad Definitorium Prouinciæ ſpectabit, vel inſtitutum à Prouinciali confirmare, vel alium pro libito eligere, duraturum vſq; ad Capitulum Prouinciale, in quo pariter ad Definitorium ſpectabit Priores omnium Conuentuum, & cæteros eorum Officiales mutare, & alios inſtituere, niſi in vtroque caſu per Generalem aliter prouiſum fuerit.

96 In Prouincijs autem Reformatis vltra montes, in quibus Priores eliguntur à Definitorio, obſeruetur decretum Illuſtriſſimi D. Orlandi ſub die 1. Septembris 1671. conditum virtute Breuis fæl. record. SS. D. N. Clementis X. dati die 31. Iulij eiuſdem anni 1671. quod in calce horum decretorum apponetur, ſaluâ ſemper authoritate Reuerendiſſimi Patris.

97 Etiam declaratum eſt, quod per decretum conditum in Capitulo Generali anni 1648. de eligendo Vicario Generali Ordinis, poſt obitum, aſſumptionem, vel amotionem Prioris Generalis abrogatus fuerit art. 1. cap. 3. part. 4. Conſtitutionum: & propterea quocumque modo officium Generalatus vacauerit, nec Prouincialem Prouinciæ Romæ, nec quemlibet alium poſſe vllo modo prætendere Vicariatum Generalem Ordinis, ſed conformiter præfato decreto ſtatim procedendum eſſe ad electionem Vicarij Generalis Ordinis; ſicuti etiam declaratum fuit per S. Congregationem à SS. D. N. Innocentio XI. ſpecialiter deſtinatam poſt obitum Reuerendiſſimi P. Scannapieci, in cauſa mota per R. P. M. Ioannem Michaelem Bucci, tunc Prouincialem Prouinciæ Romæ prætendentem virtute dicti §. 3. ſibi delatum eſſe Vicariatum Generalem Ordinis.

98 Item quod officia Prouincialium Titularium, etiam Terræ Sanctæ (quæ, approbante Sac. Congregatione, in Ordine retinentur)

ad triennium dumtaxat conferri poſſint; quo efluxo, expirat omne ius, quod in ipſis competebat ijs, quibus collata erant; poteritque Prior, vel Vicarius Generalis alios inſtituere.

99 Item quod Vicarius Generalis Ordinis; qui, quocumque modo vacante Prioratu Generali, iuxtà Decretũ dicti Capituli 1648. eligetur, tanquam repreſentans perſonam Prioris Generalis, & in eius locum, & vicem, plenariamque iuriſdictionem ſubintrans, eâdem planè authoritate, & iuriſdictione in omnibus, & per omnia potitur, qua Prior Generalis ſuus Prædeceſſor; ſemper poterit, & etiamnum poteſt facere omnia, quæ poſſunt Priores Generales, à quibus ſolo nomine differt; & nominatim Vicarius Generalis ſemper potuit, & in futurum poterit dictos Prouincialatus Titulares, etiam Terræ Sanctæ, conferre ſtatim, & quocumque modo extra Comitia Generalia vacauerint, vti per ſententiam pronunciatam 5. Iunij 1679. ab Eminentiſs. D. Cardinali Protectore (cui SS. D. iudicium recurſus facti per R. P. M. Vincentium Iuſti aduerſus collationem Prouincialatus Bohemiæ commiſerat) declaratum fuit; nempè, *eidem Vicario Generali licuiſſe, & licere, etiam futuris Vicarijs Generalibus, quoſcumque Prouinciales Titulares, poſt completum eorum officium, amouere, & alios in eorum locum inſtituere, & ſubrogare; moleſtationeſq; & perturbationes, vexationes, & quæcumque alia impedimenta dicti P. M. Iuſti fuiſſe, & eſſe temeraria, nulla, inualida, & iniuſta*; Ex quibus concluſum eſt, præfatum P. Iuſti pœnis à Conſtitutionibus taxatis eſſe mulctandum, niſi rationes adducat, quibus ab illis immunis euadere queat; & ſimiliter præfatum P. Bucci ob temerariam, & infundatam oppoſitionem ab illo factam executioni antedicti Decreti Capituli generalis, & electionem Vicarij Generalis poſt mortem dicti Reuerendiſſimi P. Generalis Scannapieci ad tres ferè menſes iniuſtè, & cum magno Ordinis detrimento retardatam.

100 Ad occurrendum autem eiuſmodi litigijs, & alijs incommodis, ſtatutum eſt, vt deinceps is, qui in locum defuncti, aſſumpti, vel amoti Prioris Generalis, per electionem ſuccedet, ad complendum tempus officij illius, non ampliùs Vicarius Generalis erit, ſed ſicuti eâdem, qua Prior Generalis plenaria poteſtate potitur,

titur, ita pro eo tempore Prior Generalis erit, & ab omnibus Prior Generalis compelletur.

101 Cùm Prior Conuentus maioris Neapolis expoſuiſſet illum nō poſſe ampliùs ſoluere veſtiarium ab immemorabili tempore per dictum Conuentum ſolui ſolitum Priori Generali, & Procuratori Generali Ordinis, tùm ob magnum numerum Miſſarum celebrandarum à ſuis Prædeceſſoribus relictum, tùm ob imminutos prouentus, & eleemoſynas, petijt ab illius maiori parte liberari, illamque Prouincijs Ordinis ſoluendam aſſignari: Et poſt iteratam in duabus ſeſſionibus poſtulationis diſcuſſionem, attento quod dictum veſtiarium omninò neceſſarium ſit dictis Superioribus, pro ſua, & ſuæ familiæ congrua ſuſtentatione, omneſque Prouinciales illius partem ſoluere renuerent, tandem (declarato per Eminentiſs. Protectorem, ac Præſidem, mentis eſſe SS. D. N. vt res diligentiſſimè diſcuteretur, ac prout iuris eſſet reſolueretur) commiſſum eſt negotium R. A. P. M. Cyrillo de Maria Vicario Prouinciali Prouinciæ Neapolis, ac R. P. M. Andreæ Maſtelloni primo Socio Prouinciæ Sanctæ Mariæ de Vita eiuſdem Regni, qui ſimul cum Priore prædicto inſtante, diligenter inſpecto ſtatu prouentuum, & expenſarum dicti Conuentus, & numero Religioſorum, quos de familia ſuſtentabat, retulerunt illum poſſe abſque incommodo, & nouitate ſatisfacere dictis oneribus Miſſarum, & ſolitum veſtiarium ſoluere tā Priori, quàm Procuratori Generalibus abſque vlla diminutione, vel nouo grauamine aliarum Prouinciarum; Vnde vnanimi conſenſu totius Capituli ſtatutum eſt, nihil circa hoc eſſe innouandum, ſed dictum Conuentum maiorem Neapolis cum ſuis Grancijs teneri impoſterùm, abſque vlla contradictione, & ſub pœnis in Conſtitutionibus appoſitis, ad ſolutionem dictorum veſtiariorum, eo modo quo à tempore Clementis VIII. vſque nunc ſeruatum eſt. Si quis autem huic decreto impoſterùm ſe opponere, vel aliquid noui contra ipſum moliri, vel attentare incipiat, ſtatim careat omni gradu, & dignitate, & vtraque voce priuetur, ſi fuerit Sacerdos; ſi autem Clericus, vel Laicus, vtroque capucio priuetur, perpetuoque inter Laicos vltimum locum teneat.

102 Quicumque Prouincialis non ſoluerit taxam aſſignatam in fine

præſentium deſcribendam pro veſtiario P. Generalis, & Procuratoris Generalis tempore præſcripto in decretis anteriorum Capitulorum, & Conſtitutionibus, eo ipſo pœnas ibidem præſcriptas incurret.

103 Etiam declaratum eſt, quod ſecundùm veterem vſum Ordinis, P. Generalis quandoque poſſit inſtituere Com-Præſidem vnius Capituli, præſertim ad anteuertendas ſuſpiciones, & recuſationes ab vna parte Gremialium forſan opponendas; & Præſidenti aſſignare Socium: qui omnes, ſcilicet Præſes, Com-præſes, & eorum Socius, habebunt vocem in Capitulo.

104 Et quod Commiſſarius miſſus ex alia Prouincia Reformata ad præſidendum Capitulo alterius Reformatæ, poſſit ex propria Socium aſſumere, & ſecum ducere, cum ſit de obſeruantibus Statuta Reformationis.

105 Item quod quilibet Religioſus Prouinciarum Reformat. poſſit quaslibet cõmiſſionesà P.Gen.expeditas ſuſcipere, & exequi, tàm intra, quàm extra Ordinem, independenter, & non requiſito Capituli Prouincialis, Prioris Prouincialis, & Definitorum conſenſu, prout Sacra Congregatio declarauit die 8. Aprilis 1672. per decretum in calce piæſentium Actorum apponendum.

106 Item quod, quando nouus Conuentus ſemel acceptatus fuit in Capitulo Prouinciali, vel Congregatione, is, qui ei titulo Vicarij præficitur (ſi in illo degat Religioſorum numerus à Conſtitutionibus præſcriptus) debet habere vocem, & locum in Capitulo Prouinciali; nec ad id vlla declaratio, ſeù Capituli Prouincialis, ſeù Definitorij requiritur.

107 Quod, ex ſenſu Conſtitutionum, electio Definitoris, qui triginta annos non compleuit, nulla ſit & inualida: & ſimiliter (vti pridem declaratum fuit à Reuerend ſs. P. Theodoro Stratio) electio Definitoris in Socium ad Capitulum Generale: Qui Socius, etiamſi habuerit plura vota poſt quartum Definitorem, non poteſt ſubintrare locum alicuius Definitorum per mortem, aut amotionem deficientis.

108 Dictio *Luſcus* (quæ habetur art. 4. cap. 3. part. 1. Conſtitutionum ſtrictioris Obſeruantiæ, in quo dicitur: *ad habitum veſtrum nolumus admitti Cæcos, Coclites, Luſcos &c.*) idem ſignificat ac *Strabo*

ſeù

ſeù qui habet oculos diſtortos, non autem idem ac *Cocles*; aliàs dictio *Luſcus* eſſet ſuperflua.

109 Item quod iiſdem Conſtitutionibus non prohibeatur Prioribus ſuffragium ferre in electione Diſcretorum ad Congregationem intermediam iturorum cum dicto Priore.

110 Item quod, ſecundùm ſenſum earumdem Conſtitutionem præſcribentium ætatem triginta annorum pro Prioratu, nullus præfici poteſt Conuentui Reformato, etiam ſub titulo Vicarij, niſi triginta annos habuerit, alias eiuſmodi electio, vel inſtitutio erit ipſo facto irrita.

111 Omnes, qui in Prouincijs Reformatis gradus, & priuilegia admittentibus Laurea Doctorali, cum diſpenſatione, initiati ſunt, nullo modo poſſunt frui iiſdem priuilegijs, donec per teſtimonium alicuius Capituli Prouincialis probauerint P. Generali, ſe omnia adimpleuiſſe, quę art. 44. Decretorum ab Illuſtriſſimo Domino Matthæo Orlando nunc Epiſcopo Cephaluditano, & tunc Priore Generali, ac Viſitatore Apoſtolico in ſua viſitatione conditorum.

112 Poterunt deinceps Adoleſcentes poſtulātes habitum Fratrum Laicorum indui pleno habitu, ſi ita Prouincialibus videbitur expedire, cum quo neceſſariò manere debebunt in aliquo Conuentu extra Nouitiatum tribus ad minùs annis, vel etiam pluribus iuxta Decreta, & laudabilem conſuetudinem aliquarum Prouinciarum, quibus expletis, ſi laudabiliter, & religiosè ſe geſſerint, ad Conuentum Nouitiatus mittentur probandi, & anno euoluto admittentur ad profeſsionem, ſi idonei reperiantur. Poterit tamen Reuerendiſs. Pater, ob vrgentem, & iuſtam rationem illos tres annos abbreuiare,

113 Declaratur, quod nullus Regularium noſtrorum, à quocumque Superiore, ob quodlibet impedimentum dirimens Profeſſionem, ſiue à prætenſo Profeſſo, ſiue ab Ordine propoſitum, poteſt ex illo dimitti ante ſententiam declaratoriam nullitatis Profeſſionis, per Superiorem Conuentus, in quo illa emiſſa eſt, & Illuſtriſſimum Dominum Ordinarium loci, ſeruatis de iure ſeruandis, pronunciatum: & quælibet dimiſſio ſecus facta, aut facienda, nulla, & inualida eſt, teneanturque dimiſſi ad Ordinem reuerti, & Prælati illos reuocare, & recipere.

Si-

114 Similiter, iuxta Conſtitutiones Apoſtolicas, nullus poteſt propter incorrigibilitatem Habitu Regulari ſpoliari, & ex Ordine eijci, niſi à ſolo Patre Generali, de conſilio, & aſſenſu ſex grauiorum Patrum electorum in Capitulo Generali, & accuratè ſeruatis omnibus, quæ in ijſdem Conſtitutionibus præſcribuntur. Si qui per alios Superiores, vel alio modo eiecti ſunt, eorum eiectio nulla, & irrita eſt; & eiecti ad Ordinem reuocandi, & recipiendi ſunt.

115 Quoniam experientia docuit frequenter nonnullos ex noſtris Regularibus animi leuitate, & inconſtantia, aut fraudulenta Dœmonis aſtutia potius quam ex vero perfectioris vitæ deſiderio, & Spiritus Sancti afflatu tentare tranſitum ad aliam Religionem, (quod ſine iactura, & iniuria noſtri Ordinis vix fieri poteſt) illumque tranſitum autumant ſibi licitum de Iure, ſi licentiam á Superioribus petierint, etiamſi non obtinuerint; ad iſtum errorem ex mentibus eorum depellendum declaratur, quod per priuilegia tam noſtro Ordini immediatè, quam alijs Ordinibus conceſſa, notanter illa, quæ fæl.mem. Paulus V. Congregationi PP. Diſcalceatorum noſtri Ordinis elargitus eſt, quæque fæl. record. Clemens X. *pariformiter, & abſque vlla differentia, ac ſi nobis nominatim, & expreſsè conceſſa eſſent*, elargitus eſt per ſuas litteras in forma Breuis datas 31. Octobris 1670. nullum Fratrum noſtrorum, *poſt emiſſam profeſsionem, abſque ſpeciali Sanctæ Sedis licentia, & ſine legitima, & vrgenti cauſa priùs à S. R.E. Cardinalibus ſuper Regularium ſtatu, & viſitatione deputatis deligenter examinata, & approbata ad alium quemcumque Ordinem Mendicantium, & non Mendicantium, Monachalium, ſeu Diſcalceatorum dicti noſtri Ordinis, aut quarumcumque Religionum erectarum, vel erigendarum, etiam voti, ſeu perfectioris, & humilioris vitæ, aut ſtrictioris obſeruantiæ prætextu, vel contemplatione, aut alia quacumque cauſa, poſſe ſe transferre, excepto dumtaxat Ordine Carthuſianorum, quatenus ad illum tranſeundi licentiam à P Generali noſtro petierit, & obtinuerit: & ſi quis ſecus fecerit, cum primùm deſuper monitus fuerit, nulla mora, aut excuſatione, ſeu forenſi contentione, vel appellatione interpoſitis, ad noſtram Religionem redire, ac Superiorum correctioni ſe ſubmittere tenetur; nec Prælati dictorum Ordinum, Religio-*

ligionum, aut Congregationum, ipſos ſic translatos, ſeu fugitiuos, & Apoſtatas retinere, ſed eos conformiter præfatis priuilegijs, etiamſi nouam profeſsionem emiſerint, ſub priuationis ſuorum officiorum, ac ſimilis excommunicationis pœnis, ſuis Superioribus, vel per eos deputatis, id requirentibus, & petentibus, ſtatim abſque Iudicis miniſterio tradere, & conſignare debent. Quibus litteris dictus Paulus V. etiam in virtute Sanctæ Obedientiæ præcipit, *vt nullus ad Ordinem Camaldulenſem* (quamuis per Sixtum V. conceſſum ſit quibuſuis Regularibus, petitâ, licet non obtentâ à ſuis Superioribus licentiâ, ad illum tranſire) *niſi ex cauſa, vt ſupra examinata, & probata, ac de Romani Pontificis pro tempore exiſtentis licentia, tranſire, recipi, & admitti valeat,* ſub eiſdem pœnis.

116 Declaratum eſt etiam, quod Fratres noſtri, qui profeſſionem in Reformatione, ſeu ſtrictiori obſeruantia, ſecundùm Conſtitutiones à fæl. mem. Vrbano Octauo, & Innocentio Decimo confirmatas emiſerunt, non poſſunt ſine licentia Sanctæ Sedis ad Conuentus antiquæ obſeruantiæ Regularis tranſire, vti dictus Vrbanus Octauus ſtatuit, & declarauit per litteras in forma Breuis datas 18. Ianuarij 1636. & 24. Februarij 1644.: & conſequenter inhibetur ne vllus eiuſmodi profeſſorum à Conuentibus Reformatis recedat, & quibuſcumque Superioribus Conuentuum obſeruantiæ Regularis, ne illos recipiant, ſub pœna ipſo facto incurrenda tàm ab ipſo recedente, quàm à quibuſcumque Superioribus recipientibus, aut morari permittentibus, priuationis vocis ac loci, & officij ac inhabilitatis ad quodcumque per ſex annos, & inſuper carceris ad annum ipſi recedenti indiſpenſabiliter infligenda; ſi autem ſit Conuerſus, priuationis vtriuſque caputij ad tres annos poſtquam dimiſſus fuerit extra carcerem.

117 Et quia ad notitiam Definitorij peruenit, plures Fratres ex Conuentibus Reformatis Prouinciæ Poloniæ ad Obſeruantes transfugiſſe, ordinatum eſt ſcribi litteras ad R. A. P. Prouincialem quibus ipſi iniungatur, vt incunctanter ipſis Profugis præſens decretum inthimet, eoſque ex Conuentibus ſibi ſubditis dimittat, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio donec iſti receſſerint, & priuationis vocis, & loci in proximo Capitulo. Si autem iſti ſtatim

(prout

(prout decet) obediant, Vicarius Prouincialis eos benignè recipiat conformiter artic. 8. cap. 1. par. 4. Conſtitutionum; ſi minus, ſupraſcriptis pœnis, & alijs Apoſtatarum irremiſſibiliter puniantur.

Inſtitutiones Priorum Prouincialium.

118 Cum ex præſcripto Conſtitutionum ſinguli Prouinciales à ſuis reſpectiuè officijs remanſiſſent abſoluti, Definitores Generales, authoritate ſibi conceſsâ per dictas Conſtitutiones, iiſdem officijs prouiderunt, vt ſequitur.

Terræ Sanctæ Prouincialem confirmarunt P. Seraphinum à Ieſu Maria.

Prouinciæ S. Alberti ſimiliter confirmarunt R. A. P. Mag. Clementem Impellizzeri.

Prouinciæ Angliæ pariter confirmarunt Reu. A. P. M. Ioſephum de Velaſco.

Prouinciæ Narbonæ confirmarunt R. A. P. Albertum Eyraud.

Prouinciæ Romæ elegerunt R. A. P. Magiſtrum Ioſephum Gambiraſi.

Prouinciæ Franciæ confirmarunt R. A. P. Angelum Millard.

Prouinciæ Germaniæ inferioris confirmarunt R. A. P. Archangelum à Sancto Mauritio.

Prouinciæ Lombardiæ confirmarunt R. A. P. Mag. Franciſcum Mariam Garreri.

Prouinciæ Aquitaniæ confirmarunt Reu. A. P. Petrum Thomam à Sancto Ioanne Baptiſta, vſque ad feriam ſextam poſt Dominicam tertiam à Paſchate proximo, in quo celebrabitur Capitulum dictæ Prouinciæ.

Prouinciæ Caſtellæ elegerunt R. Ad. P. Magiſtrum Ioannem Ioſephum Baños, ea lege vt regimen Prouinciæ ſuſcipiat Sabbatho poſt Dominicam ſecundam à Paſchate proximo: interea illius Prouinciæ gubernium relinquitur R. A. P. Magiſtro Ioanni de Medina, donec Reuerendiſs. P. Generalis illud alteri, ſi ita ipſi videbitur, commiſerit.

Prouincialem Hiberniæ confirmarunt dictum P. Baños, vſque ad ſupradictum Sabbathum.

Pro-

Prouinciæ confirmarunt Reu. Adm. P. Martinum à Sancta Catharina, vſque ad vigiliam proximi feſti Dedicationis Sancti Michaelis.

Prouinciæ Scotiæ confirmarunt Reu. Ad. P. Magiſtrum Antonium Mariam Tuſchi.

Prouinciæ Tuſciæ confirmarunt Reu. Adm. P. Mag. Petrum Dominicum Vittori.

Prouinciæ Venetiarum confirmarunt R. A. P. Mag. Anaſtaſium Caſtellani.

Prouinciæ Toloſæ confirmarunt R. A. P. Angelum à Conceptione.

Prouinciæ Germaniæ Superioris confirmarunt R. A. P. Matthiam à S. Auertano.

Prouinciæ Vaſconiæ confirmarunt Reu. Adm. P. Angelum à Sancta Thereſia.

Prouinciæ Turoniæ confirmarunt R.A.P. Columbanum à S. Spiritu.

Inſtitutionem Prouincialis Saxoniæ reliquerunt P. Generali.

Prouinciæ Aragoniæ confirmarunt R. A. P. Mag. Fęlicem Duran Villareal.

Prouinciæ Neapolitanæ Prouincialem inſtituerunt R.A.P.Mag.Cyrillum de Maria, vſque ad Sabathum poſt Dominicam ſecundam à Paſchate anni 1682.

Prouinciæ Portugalliæ Prouincialem elegerunt R. A. P. Magiſtrum Gregorium à Puero Ieſu, qui ſolùm iſtud officium exercere incipiet à Sabatho poſt Dominicam ſecundam à Paſchate proximo, & regimen Prouinciæ interea reliquerunt R. A. P. Mag. Thomæ à Conceptione nupero Prouinciali.

Prouinciæ Romandiolæ, & Piceni confirmarunt R. Ad. P. Leonem Bonfilium.

Prouinciæ Daciæ confirmarunt R. Adm. P. Magiſtrum Sebaſtianum Seſſa.

Prouinciæ Bethicę confirmarunt R. A. P. Magiſtrum Ioannem de Hoçes.

Prouinciæ Bohemiæ confirmarunt R. Ad. P. Magiſtrum Danielem Scoppa.

Prouinciæ Apuliæ confirmarunt Reu. A. P. Magiſtrum Laurentium Caraccini.

Prouinciæ Calabriæ confirmarunt R. A. P. Magiſtrum Petrum Thomam Puglieſi.
Prouinciæ Flandro-Belgicæ confirmarunt R. A. P. Michaelem à Sancto Auguſtino.
Inſtitutionem Prouincialium Aprutij, & Sardiniæ commiſerunt Patri Generali.
Prouinciæ Montis Sancti confirmarunt Vicarium Prouincialem R. A. P. Andream à Caſtro, qui iuxta Conſtitutiones ſtrictioris Obſeruantiæ, electus fuit Vicarius Prouincialis poſt mortem R. A. P. Felicis à Panormo.
Prouinciæ Sanctæ Mariæ à vita confirmarunt Reu. A. P. M. Angelum Auria.
Prouinciæ Gallo-Belgicæ confirmarunt R. A. P. Ioannem Baptiſtam à Sancto Franciſco.
Prouinciæ Pedemontanæ elegerunt R. A. P. Magiſtrum Michaelem à S. Ioſepho.
Conuentus Pariſienſis Priorem confirmarunt R. A. P. Felicianum à S. Maria Magdalena.
Conuentus S. Mariæ Tranſpontinæ, P. Generalis inſtituit R. Ad. P. Mag. Andream Maſtellone.
Conuentus maioris Neapolitani confirmarunt R. A. P. Mag. Michaelem Cantelmo, vſque ad complementum currentis anni.
Conuentus Drepanenſis Priorem confirmarunt Reu. A. P. Magiſtrum Ioannem Baptiſtam Mongiardini.

119 Supradictæ confirmationes, quæ ad certum tempus non ſunt limitatæ, vſque ad complementum triennij ſingulorum Priorum Prouincialium, vel Conuentualium, factæ ſunt: & inhærendo antiquiſſimæ conſuetudini Ordinis, omnibus illis qui præſentes fuerunt huic Capitulo, & in electionibus ſuffragium dederunt, vnus annus vltra dictum triennium pro ſuis reſpectiuè officijs exercendis conceſſus eſt: ſicuti & Prioribus Conuentuum in Prouincijs Reformatis Vltramontanis, qui vel eliguntur, vel confirmantur in Capitulis Prouincialibus.

De-

Decreta, & Ordinationes.

120 Omnibus Prioribus Prouincialibus, & Localibus ſeriò præcipitur, vt Reformationi Prouinciarum, & Conuentuum ſuæ paſtorali vigilantiæ commiſſorum diligentiſſimè incumbant, & ea, quæ in Conſtitutionibus de Officio Diuino, Oratione mentali, ſilentio, ſolitudine, & trium votorum obſeruantia præſcribuntur, exactè obſeruari curent, ſe ipſos ſubditis ſuis bonorum operum exemplum præbendo, vt eos operum compendioſiori via ad Religioſæ perfectionis apicem manuducere queant.

121 Quia Adoleſcentium educatio fundamentum eſt cuiuſcũq; Reipublicæ, communis Patrum, & Magiſtrorum ſpiritualium vox & ſententia eſt à recta Nouitiorum inſtitutione Regularem diſciplinam, atque cuiuslibet Monaſterij bonum pendere: itaque omnibus Prouincialibus, & alijs ad quos ſpectat, iniungitur, vt non omnes poſtulantes indiſcriminatim (prout nimis frequenter factum eſt) ad Habitum, & Profeſſionem admittant, ſed eos ſolum, quos, poſt diligens examen, bona indole, & ingenij docilitate præditos, Religioſæ diſciplinæ aptos, & benè morigeratos repererint; omnemque ſolicitudinem adhibeant, vt iuxta fæl. mem. Clementis VIII. Inſtitutiones, & Ordinis Conſtitutiones in trium eſſentialium votorum, meditationiſque, ſeu Orationis mentalis, ac mortificationis exercitatione (in quibus potiſſimùm Inſtituti noſtri ſpiritus conſiſtit) cæteriſque pietatis exercitijs, per idoneos, & exemplaris vitę magiſtros educentur: quæ ſi accuratè fiant, breui Conuentus noſtri, in quibus imminuta eſt obſeruantia Regularis, ſuum priſtinum feruorem, ac ſplendorem recuperabunt.

122 Sub pœna depoſitionis ab officio, omnibus Prælatis inhibetur ac ipſi P. Generali, ne vnquam Nothos, Baſtardos, & quoſcumque ex illegitimo coitu procreatos, vel eos, qui alterius Ordinis Habitu induti fuerint, etiamſi Profeſſionem non emiſerint, ad Habitum, aut Profeſſionem admittant, ipſiſque ad id faciendum omnis, quam habere poſſunt, adimitur poteſtas; ita vt iſtorum tàm probatio, quàm profeſſio, defectu conſenſus Religionis, ad eorum incorporationem neceſſarij, (qui ex nunc pro tunc, & in perpetuùm negatur, & à quocumque concedi prohibetur)

betur) ipſo facto nulla, & irrita ſit; etiamſi ipſi poſtulantes, vel alij diſpenſationem à Sede Apoſtolica obtinuerint.

123 Eâdem prorſus formâ iiſdem interdicitur ne vnquam conſentiant, ipſiſque adimitur facultas conſentiendi, vt aliquis Fratrum noſtrorum Conuerſorum, ob quamcumque rationem, tranſeat ad Ordinem Clericalem, etiamſi ad id litteras diſpenſationis à Sancta Sede impetrauerit: Si quis autem dictorum Fratrum ad Sacros Ordines ſe promoueri fecerit, per annum irremiſſibiliter incarceretur, à caracteris Clericalis, Sacrorumque Ordinum executione ſuſpenſus, & caputij vſu priuatus perpetuò maneat, vltimus omnium vbique incedat, & ſedeat, abiectioribuſque Cœnobij miniſterijs deputetur. Et ſi aliquis Superiorum quempiam illorum Sacris Ordinibus initiari conſenſerit, eo ipſo officium indiſpenſabiliter amittet, & ad quælibet inhabilis manebit in perpetuum: quas pœnas P. Generalis remittere nõ poterit.

124 Quoniam plures Conuerſorum, qui prædictis Ordinibus modò inſigniti reperiuntur, vel ob improbos mores, vel ob ignorantiam, non modó Chriſti-Fidelibus ſunt ſcandalo, & Ordinis famæ plurimùm detrahunt; in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub pœna ſuſpenſionis à Diuinis ipſo facto incurrendâ, præcipitur Prouincialibus, vt de vita, & moribus eorum, qui in ſuis Prouincijs reperiuntur, diligenter inquirant, eoſque examinent ſuper litteratura, & ijs quę ſpectant ad exercitium Ordinum, quibus initiati ſunt; quorum, ſi eos ignaros, vel moribus iſti dignitati haud congruis præditos repererint, illos ab Ordinum ſuorum exercitio ſuſpendant, & coronam eis abradant; ſuper quo conſcientiam dictorum Prouincialium in diem Chriſti oneratur; ipſiſque iniungitur, vt ante annum de ijs, quæ pro præſentis ordinationis executione fecerint P. Generalem moneant.

125 Similiter iubetur Prouincialibus nũc, & pro tempore exiſtentibus, vt quotieſcumq; aliquem Clericum ignorantem reperient, illi vnum, aut duos annos ad ſtudendum aſſignent, quibus expletis, ſi in examine tunc faciendo capaçes non reperiantur, illi abradatur corona, & miniſterijs Fratrum Conuerſorum deputetur.

126 Item Statutum eſt vt pro Monialibus Prouinciæ Franciæ non in-

inſtituantur alij Confeſſarij præter Reformatos.

127 Et vt in omnibus omninò Conuentibus, nullo excepto, habeatur bis in ſeptimana per Religioſum à Prouinciali, vel Generali deſignandum, lectio caſuum conſcientiæ circiter per horam; diebus præfigendis, cui omnes Sacerdotes, & Clerici intereſſe tenebuntur.

128 Ingemuit Definitorium, cum audiuit peſtem illam antiquonouam, hæreſim ſcilicet Ianſenianam à Summis Pontificibus Vrbano Octauo, Innocentio Decimo, & Alexandro Septimo toties proſcriptam (quam penitus extinctam autumabat) adhuc in Belgio potiſſimùm, & in Gallia graſſari, & ad alias Regiones ſerpere, ac propagari; proindeque prohibuit, & tenore præſentium prohibet omnibus, & ſingulis noſtri Ordinis Alumnis, Lectoribus præſertim, & Concionatoribus, ne quid priuatim, vel publicè prædicare, verbo docere, in ſcriptis exponere palam, vel occultè, imprimere, vel ſcribere, aut quomodocumque explicare, & ſuadere præſumant, quod huiuſmodi damnatam doctrinam aliquatenus redoleat: ſi quis autem contrarium attentauerit, è veſtigio per Superiorem ſuum ab officio ſuo deponatur, pœnas, cenſuraſque contra Hæreticos in Iure ſtatutas incurriſſe, & ad docendum, & concionandum, nec non ad quodlibet Religionis Officium inhabilis declaretur; dum Diuinam exorabimus Bonitatem, vt Eccleſiam ſuam ab eiuſmodi peſtifera lue penitus liberare dignetur.

129. Proponente Reu. Adm. P. Prouinciali Aragoniæ, quod in parte dictæ Prouinciæ, quæ dicitur Aragoniæ, & Nauarræ, nempè in Oppido de Rubielos, ab aliquot annis fundatus ſit vnus Conuentus, vt in eo ſeruaretur vita communis, cuius prouentus, cum ſolitis eleemoſynis, ſunt ad id ſufficientes, ordinatum eſt ipſi, vt incunctanter ibidem; & in alio Conuentu partis, quæ dici'ur Valentiæ, à ſe deligendo, inſtituat vitam communem; & (ſi opus fuerit) ab vtroque Priores, cæteroſque Officiales modernos amoueat, & alios Reformationi promouendæ magis idoneos conſtituat.

130 Omnibus Sacerdotibus, Clericis, & Conuerſis, quarumcumque Prouinciarum inhibetur, ne cum pallijs nigris per Vrbes incedant,

cedant, ſed omnes cappas albas extra Conuentum deferant ſub pœna Sacerdotibus,& Clericis priuationis vocis, & loci; Laicis verò (niſi in locis, in quibus id ipſis per Conſtitutiones permiſſum eſt) priuationis vtriuſque caputij ad annum; & Prioribus, ac Vicarijs id permittentibus, vel pœnas non infligentibus, ſuſpenſionis ab eorum officijs ad ſex menſes; Quod Decretum vbique obſeruari præcipitur; ſed maximè Romæ, etiam pro negotijs ad Vrbem accedentibus, iuxta ſpeciale Decretum Sanctiſſimi Domini noſtri Innocentij Papæ XI. Nullus ergo impoſterùm cuiuſcumque gradus, conditionis, ac Prouinciæ ſit, etiam Vltramontanæ, ad Vrbem ſine cappa alba, accedere, vel per illam quocumq; prętextu, vel ratione incedere, ſine ſocio, & cappa alba præſumat, ſub iiſdem pœnis ipſo facto, tàm ipſi, quàm Superiori permittenti infligendis.

131 Quicumque Sacerdos egreſſus fuerit ex ſua Prouincia ſine licentia ſui legitimi Superioris, aut teſtimonio authentico Perſonarum fide dignarum, quod fuerit neceſſitate compulſus diſcedere antequam ad Generalem, vel Prouincialem recurrere potuerit, ipſo ſit ſuſpenſus à Diuinis, nec in vllo Conuētu illi permittatur celebrare: Clerico autem ſtatim, iuſſu Superioris primi Conuentus, ad quem accedet, indiſpenſabiliter abſcindatur corona, non reſtituenda; ante tres annos; & Conuerſo auferatur caputium, cuius vſu priuabitur ad triennium: ſingulis verò iſtorum tantum temporis demetur in ætate, ſeu primogenitura Religionis quoad præcedentiam, quantum manſerint extra Prouinciam. Si autem ille ſic egreſſus ad hanc almam Vrbem ſe conferre intendat, & ſuum iter prius ſcripto non indicauerit ſuo Prouinciali, aut Priori, ſtatim expenſis ſuæ Prouinciæ incarceretur per Priorem Conuentus, ad quem primò diuertet: & ſi ad Vrbem peruenerit, non audiatur, ſed alterutra ſupradictarum pœnarum, pro qualitate Perſonæ impoſitâ, poſt carcerem trium dierum in pane, & aqua, incunctanter remittatur ad ſuam Prouinciam; vbi, vltra prædictas pœnas, ſi ſit Sacerdos, aut Clericus, voce, & loco duobus annis à ſuo regreſſu carebit, iuxta Decretum fæl. me. Clementis Octaui; & ſi ſit Laicus vtriuſque caputij vſu priuabitur, ſuper quibus pœnis Reuerendiſs. Pater non poterit diſpenſare.

132 Ordinatur Priori, aut, eo abſente, illius Vicario, ad cuius Conuentum eiuſmodi Profugi peruenient, vt pro illorum qualitate, aliquam dictarum pœnarum indilatè eis infligat, & ante tres dies, (niſi infirmentur) ex Conuentu dimittat; ſtatimque de omnibus P. Generalem, & Prouincialem Fugitiui moneat. Si quiſpiam eorum omiſerit, eo ipſo ab officio ſuſpenſus ad tres menſes manebit.

133 Sub eadem pœna inhibetur Prioribus, tàm Prouincialibus, quàm Conuentualibus, vt infra octo dies à receptione præſentiſſ Decretorum, dimittant ex ſuis reſpectiuè Prouincijs, & Conuentibus Fratres aliarum Prouinciarum, qui ſine congrua Superiorum ſuorum licentia in eis morantur.

134 Si quis Prouincialis profeſſum alterius Prouinciæ ſine conſenſu expreſſo proprij Prouincialis, aut licentia Patris Generalis præſentauerit ad Ordines; eo ipſo abſque alia declaratione ſit ſuſpenſus à Diuinis, nec vllo modo illa exerceat, donec à P. Generali, audito prius Prouinciali Fratris ordinati, abſolutionem obtinuerit.

135 Præcipitur in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ipſo facto (vltra alias pœnas in Conſtitutionibus taxatas) incurrendâ, hac vna pro trina monitione præmiſſa, omnibus, & ſingulis noſtri Ordinis Fratribus cuiuſcumque dignitatis, gradus, aut conditionis exiſtant, ne librum aliquem, ſiue magnum, aut qualitercumque paruum, nec quidquam aliud expreſſo, vel ſuppreſſo nomine proprio, aut alio fictitio appoſito, imprimi procuret, ſine facultate expreſſa in ſcriptis Reuerendiſſimi Patris impetratâ, & non concedendâ, niſi viſo priùs teſtimonio duorum Theologorum noſtri Ordinis, qui illum reuiderint, & probauerint. Si verò liber ipſe, vel folium, ſiue magnum, ſiue paruum, aliquid contineat ad Ordinis Hiſtoriam, priuilegia, vel indulgentias pertinens, nullo modo vllibi locorum imprimatur, vel imprimi permittatur, vel ab aſſignatis Theologis pro illius cenſura approbetur ſub ijſdem pœnis, tám Authori, quam Cenſoribus infligendis; ſed antequam imprimatur, mittatur Romam ad manus Reuerendiſſimi Patris, vel per ſe, vel per examinatores in Vrbe ab ipſo deſtinandos diſcutiendum,

ne

ne quid contra hiſtoriæ veritatem publicetur.

136 Quia Reuerendiſſimus Pater Ex-Vicarius Generalis expoſuit, quod in viſitatione, quam fecit in Prouincijs Italiæ, non paucos Conuentus multo ære alieno grauatos inuenerit, & quod in computibus ferè ſemper expenſa ſuperent accepta, etiam ad notabiles ſummas, quas Priores, vel Vicarij ex pecunijs ſibi ad vſum permiſſis, vel mutuo acceptis, in vſus dictorum Couentuũ impenſis proceſſiſſe aſſerunt, licet alij autument id ſępè ex ementitis ſumptibus, vel ſummis receptis inter rationes non relatis prouenire: quibus, vt obuiam eatur, præcipitur.

137 Primò, vt iuxta Conſtitutiones par. 2. cap. 11. §. 2. & ſub pœna depoſitionis ab officio ibidem præſcripta ipſo facto incurrendâ, & irremiſſibiliter infligendâ, ſingulis hebdomadibus computus dati, & accepti in illa hebdomada coram Clauarijs reddantur, á quibus niſi approbati, & ſubſcripti fuerint, nullius ſint valoris; generales autem coram tota Communitate ſingulis trimeſtribus reddantur; & ſi aliquod dubium acciderit circa approbanda, vel reprobanda, tàm á Clauarijs, quàm á tota Communitate, ſtatim Superior Prouincialis, vel Generalis moneatur, vt de opportuno remedio quantocius prouidere procuret, & interim nihil innouetur.

138 Secundò, Clauarii non permittant aliquas expenſas computibus inſcribi, niſi ipſis conſtet, eas verè, & legitimè factas fuiſſe: & curent omnes ſummas nomine Conuentus receptas fideliter ijſdem computibus inſeri: ſi ſecus fecerint, erunt rei furti ſacrilegi, & vltra obligationem reſtituendi, eo ipſo incurrent excommunicationem latæ ſententiæ Reuerendiſſ. Patri reſeruatam, à qua non poterunt abſolui, niſi priùs factâ dictâ reſtitutione.

139 Tertiò, Strictè prohibetur, ne Priores, aut Vicarij, pro quacũq; re expenſas faciant, vltra vires Conuentus ſui; nec pro illis pecunias mutuo recipiant, aut recipi permittant, niſi pro vrgenti neceſſitate, & habito priùs conſenſu totius Communitatis ad ſonum campanæ capitulariter congregatæ, & inſtrumentum ſummæ mutuo acceptæ coram Notario ab omnibus Gremialibus ſubſcribatur: ſi ſecus factum fuerit, ſumma à Conuentu non exoluetur, ſed ab eo, qui eam acceperit, qui inſuper officio ſuo priuatus, &

ad quodlibet aliud inhabilis manebit ad tres annos, à die qua ſummam reſtituerit computandos.

0 Quartò. Ad prępediẽdas fraudes, quæ à nonnullis non rarò in libris computuũ committuntur: ſtatim à receptione præſentiũ Decretorum Prouinciales curent cęlari ſigillum cum inſignijs Ordinis noſtri, quo in viſitatione Conuentuũ ſigillabunt ſingulas paginas librorum introitus, ſeu receptorum, & exitus, ſeu expenſorum, eiſq; numerum annotabit: ne aliquæ paginæ extrahantur, & earũ loco aliæ ſupponantur; & in initio cuiuſcumque libri inſcribet quot ille continet folia, ipſeque, cum ſuo Socio ſubſcribet; aliàs, ſi aliquod eorum deſit, aut quodpiam folium ſuppoſitum reperiatur, nulla fides eiuſmodi libro adhibebitur. Et ſi quis deprehendatur aliquod folium laceraſſe, aut extraxiſſe, vel aliquam ſummam in dicto libro immutaſſe, pœnam falſi indiſpenſabiliter ſubibit.

1 Quintò. Mandatur in virtute Sanctæ Obedientiæ Prouincialibus, Commiſſarijs, & Viſitatoribus, vt quotieſcumque reperient exitum, ſeu expenſa excedere introitum, ſeu recepta, ſtatim ſummam excedentem declarent incorporatam Conuentui, prout ex nunc declaratur incorporata, niſi clarè conſtet eam procedere ex pecunia mutuo, modo, & forma, vt ſupra ordinatum eſt, accepta.

2 Sextò. Priores omnia videant, ſed nihil tangant, ac per ſeipſos neque immediatè, neque mediatè aliquid expendant, vel recipiant, ſed totum fiat per Officiales Conuentus, ſub pęna priuationis Officij ipſo facto incurrenda, quod in omnibus Prouincijs, etiam Reformatis, exactè obſeruari præcipitur.

3 Cum non infrequenter neceſſe ſit quoſdam Priores ab officio ſuo remouere, vel ob adminiſtrandi imperitiam, vel ob aliquam culpam non publicam, ſoliſque Superioribus notam, vel aliquando alijs etiam notam, ſed difficilioris probationis, & multi contendant immeritò, (ſaltem pro culpa infamiam iuris non inferente) ad eiuſmodi amotionem ſemper prærequiri proceſſum in ſcripto, & ſecundùm formam in Tribunalibus Regularium ſitatam, nempè inquiſitionem iudiciariam, interrogationem, ſeu conſtitutionem Prioris remouendi, communicationem pro-

 ceſſus

ceſſus offenſiui, & examen teſtium ad defenſionem ipſius, qui ſæpius à ſententia amotionis ab officio, etiam iuſtiſſime, prouocat ad P. Generalem, imò & ad S. Congregationem, vel SS. Dominum; ita vt paſſim officium eiuſmodi Prioris citius expiratum ſit, quam cauſa terminata; & in eiuſmodi actibus iudiciarijs, nedum multum temporis, (quæ omnibus, & præſertim Regularibus pretioſa eſt,) ſed & pecuniarum, (tàm pro ſalario Aduocatorum, & Procuratorum) quorum operâ Viſitatores, & Commiſſarij Regulares, propter exiguam praxeos forēſis peritiam, vti coguntur) quàm pro defendendis ſententijs in Tribunalibus Superioribus, quando ad illa prouocatum eſt, & ſæpè ad hanc Almam Vrbem ipſi condemnati excurrunt, prætenduntque ratione voti paupertatis, ſibi omnes ſumptus à Conuentu ſubminiſtrari; quibus fit, vt depauperentur Conuentus, bonus odor Religionis apud exteros, charitas per ſuſpiciones, iudicia temeraria, auerſiones, & inimicitias inter teſtes, & Reum, eiuſq; amicos oriri ſolita, cum grandi diſciplinæ Regularis diſpendio, deperdatur: ad auertenda eiuſmodi infauſta litium genimina, & proſpiciendum recto Conuentuum regimini, Definitorium Generale poſt maturam deliberationem cenſuit ſtatuendum iuxta laudabilem aliorum Ordinum praxim, prout tenore pręſentium ſtatuit; Quod, licet Priores hactenus electi, & confirmati fuerint, & ſint deinceps eligendi, & confirmandi ad tres annos; nihilominus impoſterùm eorum electiones, vel inſtitutiones à quocumque factæ, & faciendę, nec non confirmationes vim, & effectum dumtaxat habebunt vſque ad Congregationes annuas Definitorum, in quarum ſingulis, niſi innouata fuerit cuiuſcumque Prioris confirmatio, eo ipſo ipſius officium expirabit, & Congregatio Definitorij alium eliget; Poterunt tamen in eodem Conuentu confirmari ad complementum triennij, & non vltra; aliàs confirmatio, & inſtitutio eo ipſo nulla, & irrita erit; niſi tamen pro confirmatione vltra triennium per Generalem diſpenſatum fuerit, iuxta Conſtitutiones generales Ordinis pro aliquo Conuentu, qui ijſdem regitur, propter manifeſtam neceſſitatem, aut magnam vtilitatem, in litteris diſpenſationis exprimendam: quæ ſi omitteretur: aut cau-

ſa

ſa diſpenſationis falſa deprehenderetur, eo ipſo nulla erit: vt autem in eiuſmodi confirmationibus rectè, & ſecundùm Deum procedatur, poſt tractatum habitum de Priorum moribus, & idoneitate in regendo, Definitores genuflexi coram imagine Crucifixi ſigillatim iurabunt, ſe, ſepoſito omni affectu, auerſione, & priuato commodo, ſolùm confirmaturos eos, quos iuxta conſcientiæ ſuæ dictamen iſti officio aptos eſſe arbitrantur, ſuper quo illorum conſcientiæ in diem Domini onerantur. Et pro firmiori huius Decreti ſubſiſtentia Definitorium Generale derogauit Cõſtitutionibus Ordinis, Decretis antecedentium Capitulorum, & quibuſcumque alijs contrarijs.

144 Quia nobis innotuit nonnulla inſtrumenta ex Archiuijs, tàm Prouinciarum, quàm Conuentuum extracta, cum ingenti damno Ordinis deperijſſe; idque ex incuria, vel Cuſtodum, vel eorum, quibus eiuſmodi inſtrumenta credita fuere; ſtatutum fuit, vt nihil ex quocumque Archiuio extrahatur, aut à quoquam extrahi permittatur, niſi omnes ad quos ſpectat, per ſe, vel alios, modo infraſcripto deputandos, ſint præſentes, & in libro ad hoc deſtinato, ac in Archiuio ſemper includendo, exactè notentur inſtrumenta, litteræ, & quæcumque extrahentur, vnà cum nominibus illorum, quibus conſignabuntur, qui ſubſcribent ſe illa recepiſſe, diligenter ſeruaturos, & quamprimùm in Archiuio repoſituros, quibus etiam inuigilabunt illi, quibus cuſtodia Archiuij eſt commiſſa: & ſi contingeret aliquem, ob abſentiam, vel infirmitatem non poſſe adeſſe, dum Archiuium aperitur, clauim ſuam committet alteri probo, & fideli, qui vice illius adſit.

145 Prohibetur in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna ſuſpenſionis à diuinis P. Generali reſeruatæ, necnon priuationis officij, ac inhabilitatis ad quodcumque ad ſex annos ipſo facto incurrẽdâ, ne in libris, in quibus deſcribuntur Acta, & Reſolutiones Capitulorum, & Congregationum, quidquam deleatur, & cancelletur, vel ex eis laceretur, aut extrahatur extra tempus Capituli Prouincialis, & abſque conſenſu tàm Prouincialis, & Definitorum recèns electorum, quàm Exprouincialis, & Definitorum immediatè præcedentium; ordinaturque, vt quotieſcumque, iuſta ratione ſuadente, id fiet, in iſtis libris ſcribatur

batur cauſa, ſeu ratio deletionis, aut lacerationis, & à ſupranominatis ſubſcribatur: & vt nemo ignorantiam huius ordinationis prætendere queat, illa in initio iſtorum librorum quamprimùm deſcribetur, ſollicitudine RR. PP. Prouincialium.

146 Prioribus Conuentuum noſtrorum mandatur, vt res omnes, & geſta, quæ ad ſuum Conuentum, Prouinciam, vel Ordinem quomodocumque ſpectare poſſunt, & culpas publicas ſuorum ſubditorum ſtatim ad Prouincialem ſuum perſcribant, & Prouincialibus, vt illa indilatè ſignificent Reuerendiſs. Patri.

147 Aſſiſtentibus, ſeù Socijs Prouincialium iniungitur, vt curent deſcribi in libro ſpeciali ad id deſtinato omnes Bullas, Conſtitutiones, & Decreta Pontificia, ac SS. Congregationum, Acta Capitulorum Generalium, necnon Ordinationes, & litteras Priorum, vel Vicariorum Generalium concernentia Ordinem, vel Prouincias, aut Conuentus particulares, & ſingulis annis ante feſtum Natiuitatis Domini mittant ad P. Generalem ſpecificationem eorum quæ ſcripta fuerint à P. Prouinciali ſubſcriptam; ſin minus (ceſſante legitimo impedimento indicando, & probando) & niſi in Capitulo ſequenti dictum librum, & teſtimonium miſſæ ſpecificationis exhibuerint, in eodem carebunt voce, & loco.

148 Præceptum eſt omnibus Prioribus Prouincialibus Prouinciarum Reformatarum, vt in ſuis viſitationibus, iuxtà tenorem Cõſtitutionum p. 2. c. 18. §. 9. impediant vſum ſigillorum particularium, iubeantq; omnia, quibus ſubditi vtuntur, ſibi ipſis conſignari, eaque confringant: illis autem, qui aliquod retinuerint, aut eo vſi fuerint, irremiſſibiliter applicent pœnam priuationis vtriuſque vocis ad tres annos.

149 Similiter omnibus Prioribus Conuentualibus dictarum Prouinciarum Reformatarum mandatum eſt, vt ad obuiandum pluribus, grauiſſimiſque incommodis, omnes litteras (exceptis Superiorum maiorum ad ſuos Subditos miſſas, & ab ipſis mittendas) ſemper legant, & pro ſua diſcretione eas, vel tradant, vel ſupprimant: & ijs, qui litteras mittunt, aut recipiunt ſine eorum licentia, pœnas præſcriptas §§. 10. & 11. dicti capitis 18. indiſpenſabiliter infligant.

De

150 Omnes electiones, conformiter præſcripto Concilij Tridentini, & Conſtitutionum, faciendæ ſunt per vota ſecreta, ita quod nec nomina eligentium manifeſtentur, nec eorum chyrographa agnoſcantur; & vt id exactè ſeruetur, ante quaſcumque electiones, pro ſingulis electoribus parabuntur ſchedulæ in charta eiuſdem formæ, & magnitudinis, in quibus ab vna parte eodem caractere ſcripta ſit forma iuramenti, à ſingulis ſigillatim præſtandi, & ab alia parte hæc verba: *Eligo in Priorem*, vel *in Prouincialem*, vel *in Definitorem &c.*; in quibus, præter nomen, & cognomen perſonæ, quam eligit, nemo eligentium quodcumque aliud verbum, notam, caracterem, aut ſignum addat, inſcribat, aut apponat, vnde nomen, & perſona eligentis poſſit cognoſci, aliàs huiuſmodi ſchedulæ, ſeù ſuffragia tanquam nulla, & inualida reijciantur: & ſi cum cæteris computentur, eo ipſo electio ſit irrita.

151 In omnibus electionibus Prælatorum faciendis in Capitulis Prouincialibus, & Conuentualibus, vel Congregationibus annuis Definitorum tres, & non plures Scrutatores eligantur à Præſide Capituli Prouincialis, de conſenſu Prouincialis, & Definitorum, & in Conuentuali, trium primas voces habentium, qui præſtito priùs ſolito iuramento, ſingulorum eligentium vota complicata in vrna recipiant; quorum vnus illa extrahet, numerabit, & euoluet, eaque viſa, & alijs duobus oſtenſa leget, & publicabit; quę ſchedulæ, dum legentur, à Secretario, & tribus ſaltem Gremialibus per Præſidentē deſignandis annotabuntur, ſtatim publicabūtur, & fiet collatio numeri illorum ad numerum, vt videatur in quem maior pars conſenſerit, &, ſi poſt trinam interrogationem Præſidis de validitate electionis, nulla fiat oppoſitio, ipſe interponet decretum electionis, ſeu electionem faciet nomine omniū Gremialium formâ præſcriptâ in Conſtitutionibus, in quo decreto electio eſſentialiter conſiſtit, & ſine quo nullum ius acquiritur electo, nec ipſe confirmari poterit; quia ſuffragia eligentiū ſunt tantùm quoddam electionis præparatorium ad cognoſcendum in quem Gremiales conſenſerint; illaque electio communis à Præſide facienda eſt ſtatim à publicatione ſuffragiorum, illorum-

lorumque collatione, & antequam Electores ad actum externum diuertantur, aliàs, aliquo ſupradictorum deficiente, electio erit nulla, & inualida. Quæ omnia, niſi ſuo ordine deſcripta ſint in Actis Capitulorum, ſeu in inſtrumento cuiuslibet electionis, electio non confirmabitur, & ius alium, vel alios inſtituendi, eo ipſo deuolutum erit ad P. Generalem.

152 Acta Capitulorum Prouincialium, quæ ad P. Generalem confirmanda mittuntur, iuxta antiquum vſum Ordinis, & formulam celebrandi Capitulum Prouinciale à Reuerendiſſimo Patre Generali Stratio præſcriptam, ſubſcribantur a Præſide, Prouinciali recens electo, & abſoluto, ac à Definitoribus, ſub eadem pœna, qua in articulo præcedenti: illa autem, & quæ in eis continentur, etiam electiones Priorum, quæ fiunt à Definitorio, nullam habent iuris ſubſiſtentiam ante confirmationem Generalis, quæ (ceſſante legitimo impedimento) impetrari debet intra tempus præſcriptum à Conſtitutionibus.

153 Omnia Acta Capitulorum, Congregationum, & cætera quæ mittenda ſunt ad P. Generalem, & alia quælibet Acta quæ exhiberi debent Viſitatoribus, ſcribantur latino idiomate, aliàs ad illa non attendetur.

154 Acta Congregationis annuæ Definitorum, & intermediæ mittenda ſunt ad P. Generalem vt confirmentur, ſicut & Acta Capitulorum Prouincialium; ante quam confirmationem nullius erunt roboris, & momenti.

155 Commiſſarius qui, iuxta præſcriptum Conſtitutionum ſupplet vices eius, qui à Generali, vel Prouinciali mittendus erat ad præſidendum Capitulo alicuius Prouinciæ, vel Conuentus, poteſt eligi in Prouincialem, vel Priorem; non autem alius ab ijſdem Generali, vel Prouinciali deputatus.

156 Præcipitur, vt Definitores Prouinciarum Reformatarum, quibus competit ius eligendi Priores, exactè obſeruent Decreta condita 1. Septemb. 1671. à Reuerendiſs. P. Matthæo Orlando tunc Priore Generali Ordinis noſtri, & modò Epiſcopo Cephaluditano, quæ Definitorium Generale innouat, &, in quantum opus eſſet, approbat, & confirmat, ordinatque illa inſeri in calce præſentium Actorum.

Pro-

157 Prohibetur, ne quis in dictis Prouincijs eligatur in Priorem, aut electus confirmetur, qui diſciplinæ Regularis promouendæ non eſt zeloſus, nec in vita ſpirituali ita exercitatus, vt ſubditos verbo, & exemplo ad illa manuducere non valeat; nec is qui ſolitus eſt abeſſe à Conuentu, aut ſeſe occupare negotijs eiuſmodi frequentem abſentiam cauſantibus, vel qui ſubditorum culpas abſque debita correctione diſſimulare conſueuit, aut rei domeſticæ œconomiam, rectamque adminiſtrationem ignorat; vel qui Conuentum, in quo fuit Prior, aut Procurator, ære alieno abſque expreſſa licentia Prouincialis, grauatum reliquit: ideòque præcipitur ijs, qui quempiam iſtorum defectuum in aliquo Priore electo nouerint, illum maturè indicent Prouinciali, aut alicui Definitorum, vt, ſi de eo conſtiterit, nulla ratione confirmetur. Si verò quis ob aliquod ſupradictorum defectuum non confirmatus ſeſe oppoſuerit, aut à non confirmatione appellauerit, vel ad Superiores recurrerit, eo ipſo ad iſtud officium, & quodcumque aliud ſit inhabilis.

De appellationibus, & recuſationibus.

158 Cùm Religioſæ vocationis ſit, non contentioſè viuere, ſed propriæ voluntati, ac iudicio renunciare; & Regularium appellationes pacem Religioſam perturbent, diſciplinam Regularem euertant, Superiorum authoritatem eneruent, arrogantiam ſubditorum foueant, inobedientias, & diſſolutiones multiplicent, magnos ſumptus, labores inutiles, & ignominiam, ac dedecus, pluraq; alia detrimenta Religionibus progenerent, ſapienter Conſtitutiones pro Ordine noſtro à S. Sede in ſpeciali forma confirmatæ ſanciuerunt; *Vt nulli noſtrorum Regularium liceat à Superiorum ſuorum localium correctione ad Maiores appellare in caſibus, & culpis manifeſtis, confeſſis, vel probatis, contra Regulam, & Statuta perpetratis, ſub pæna carceris infligenda. Si quis tamen prætenderet ſe grauari à Superiore locali in re notabili infamiam inferente, poterit habere recurſum ad Prouincialem, & in ſimili caſu à Prouinciali ad Generalem, à Generali ad Protectorem, vel ad Summum Pontificem Supremum in Eccleſia Dei Iudicem*; nihilominus non pauci ex noſtris

lorumque collatione, & antequam Electores ad actum externum diuertantur, aliàs, aliquo ſupradictorum deficiente, electio erit nulla, & inualida. Quæ omnia, niſi ſuo ordine deſcripta ſint in Actis Capitulorum, ſeu in inſtrumento cuiuslibet electionis, electio non confirmabitur, & ius alium, vel alios inſtituendi, eo ipſo deuolutum erit ad P. Generalem.

152 Acta Capitulorum Prouincialium, quæ ad P. Generalem confirmanda mittuntur, iuxta antiquum vſum Ordinis, & formulam celebrandi Capitulum Prouinciale à Reuerendiſſimo Patre Generali Stratio præſcriptam, ſubſcribantur à Præſide, Prouinciali recens electo, & abſoluto, ac à Definitoribus, ſub eadem pœna, qua in articulo præcedenti: illa autem, & quæ in eis continentur, etiam electiones Priorum, quæ fiunt à Definitorio, nullam habent iuris ſubſiſtentiam ante confirmationem Generalis, quæ (ceſſante legitimo impedimento) impetrari debet intra tempus præſcriptum à Conſtitutionibus.

153 Omnia Acta Capitulorum, Congregationum, & cætera quæ mittenda ſunt ad P. Generalem, & alia quælibet Acta quæ exhiberi debent Viſitatoribus, ſcribantur latino idiomate, aliàs ad illa non attendetur.

154 Acta Congregationis annuæ Definitorum, & intermediæ mittenda ſunt ad P. Generalem vt confirmentur, ſicut & Acta Capitulorum Prouincialium; ante quam confirmationem nullius erunt roboris, & momenti.

155 Commiſſarius qui, iuxta præſcriptum Conſtitutionum ſupplet vices eius, qui à Generali, vel Prouinciali mittendus erat ad præſidendum Capitulo alicuius Prouinciæ, vel Conuentus, poteſt eligi in Prouincialem, vel Priorem; non autem alius ab ijſdem Generali, vel Prouinciali deputatus.

156 Præcipitur, vt Definitores Prouinciarum Reformatarum, quibus competit ius eligendi Priores, exactè obſeruent Decreta condita 1. Septemb. 1671. à Reuerendiſs. P. Matthæo Orlando tunc Priore Generali Ordinis noſtri, & modò Epiſcopo Cephaluditano, quæ Definitorium Generale innouat, &, in quantum opus eſſet, approbat, & confirmat, ordinatque illa inſeri in calce præſentium Actorum.

Pro-

157 Prohibetur, ne quis in dictis Prouincijs eligatur in Priorem, aut electus confirmetur, qui diſciplinæ Regularis promouendæ non eſt zeloſus, nec in vita ſpirituali ita exercitatus, vt ſubditos verbo, & exemplo ad illa manuducere non valeat; nec is qui ſolitus eſt abeſſe à Conuentu, aut ſeſe occupare negotijs eiuſmodi frequentem abſentiam cauſantibus, vel qui ſubditorum culpas abſque debita correctione diſſimulare conſueuit, aut rei domeſticæ œconomiam, rectamque adminiſtrationem ignorat; vel qui Conuentum, in quo fuit Prior, aut Procurator, ære alieno abſque expreſſa licentia Prouincialis, grauatum reliquit: ideòque præcipitur ijs, qui quempiam iſtorum defectuum in aliquo Priore electo nouerint, illum maturè indicent Prouinciali, aut alicui Definitorum, vt, ſi de eo conſtiterit, nulla ratione confirmetur. Si verò quis ob aliquod ſupradictorum defectuum non confirmatus ſeſe oppoſuerit, aut à non confirmatione appellauerit, vel ad Superiores recurrerit, eo ipſo ad iſtud officium, & quodcumque aliud ſit inhabilis.

De appellationibus, & recuſationibus.

158 Cùm Religioſæ vocationis ſit, non contentiosè viuere, ſed propriæ voluntati, ac iudicio renunciare; & Regularium appellationes pacem Religioſam perturbent, diſciplinam Regularem euertant, Superiorum authoritatem eneruent, arrogantiam ſubditorum foueant, inobedientias, & diſſolutiones multiplicent, magnos ſumptus, labores inutiles, & ignominiam, ac dedecus, pluraq; alia detrimenta Religionibus progenerent, ſapienter Conſtitutiones pro Ordine noſtro à S. Sede in ſpeciali forma confirmatæ ſanciuerunt; *Vt nulli noſtrorum Regularium liceat à Superiorum ſuorum localium correctione ad Maiores appellare in caſibus, & culpis manifeſtis, confeſſis, vel probatis, contra Regulam, & Statuta perpetratis, ſub pœna carceris infligenda. Si quis tamen prætenderet ſe grauari à Superiore locali in re notabili infamiam inferente, poterit habere recurſum ad Prouincialem, & in ſimili caſu à Prouinciali ad Generalem, à Generali ad Protectorem, vel ad Summum Pontificem Supremum in Eccleſia Dei Iudicem*; nihilominus non pauci ex noſtris

ſtris eò temeritatis deuenerunt, vt à quibuſcumque ſuorum Superiorum ordinationibus, etiam à translatione de vno Conuentu ad alium, frequenter appellent: Quapropter vt malignantibus, qui appellationis remedio (ad innocentiæ præſidium instituto) ad defenſionem iniquitatis, & inobedientiæ abutuntur, atque ſupradictis malis via præcludatur, conformiter priuilegijs à S. Sede conceſſis, & menti præfatarum Conſtitutionum, declarantur, & ſtatuuntur ſequentia.

159 Quod á pœnitentijs ſalutaribus, obedientiæ præceptis, amotione à ſtudio, aut ab vno Conuentu ad alium, & ab impoſitione quarumcumque pœnarum per Conſtitutiones pro culpis infamiam non inferentibus præſcriptarum, nulli prorsùs liceat appellare.

160 Nec etiam à priuatione officij, vocis, & loci in Conſtitutionibus, Decretis Capitulorum, vel viſitationum, aut ordinationibus Generalium, vel Prouincialium comminatis; nec ab alijs pœnis, quæ in Capitulo, vel viſitatione, ſine proceſſu compilato, iuxta dictas Conſtitutiones, & antiquam Ordinis obſeruantiam, imponi ſolent; dummodò tamen correctionis modus in Statutis, aut Decretis, vel Ordinationibus præſcriptus grauiter non excedatur. Et ſi fortè contingeret, in illis aliquouſque exceſſum fuiſſe, Fratres noſtri pro communi bono, & ad auertenda prædicta mala, id patienter ſuſtinebunt, exemplo Chriſti, qui pro noſtra ſalute iniquorum Iudicum iudicio ſponté ſe ſubmiſit, pœnaſque ſibi impoſitas ſubiuit. Si quis autem in ſupradictis obedire, vel pœnæ ſibi impoſitæ ſubiacere noluerit, vt contumax, & rebellis, pœna carceris, iuxta Conſtitutiones, & caſus exigentiam, indiſpenſabiliter puniatur. Poterit tamen in prædictis caſibus (executione non retardata) haberi recurſus ad Prælatum Superiorem, per modum ſupplicationis; vt is, re maturè penſatâ, & audito Superiore, ex toto, vel parte mitiget ſententiam.

161 In quacumque autem re notabili infamiam inferente appellare licebit, etiam quoad effectum ſuſpentiuum, dummodò grauamen ſit euidens, & certum; v. g. ſi correctio notabiliter excedat quantitatem, vel qualitatem pœnæ à Iure, Conſtitutionibus, aut Decretis

cretis impoſitæ; vel ſi aliquod eorum, quæ ad eſſentiam iudicij, iuxta ſtylum in Religione ſeruari ſolitum, pertinent, fuerit omiſſum; vt ſi Reus non fuerit auditus, nec citatus; ſi negatæ fuerint defenſiones de iure, vel conſuetudine competentes; vel delictum non fuerit probatum; nam ob grauamen dubium, & probabile non permittitur appellatio.

162 Vt autem Iudex *à quo* cognoſcat an deferendum ſit appellationi; illius cauſa neceſſariò exprimenda eſt in inſtrumento appellationis; etiam quando appellatur ab interlocutoria vim definitiuæ habente, vel quæ per definitiuam reparari non poteſt.

163 Cauſâ appellationis pendente, nihil innouetur; & appellans, ſi carceri incluſus ſit, in eodem permaneat, donec Superior *ad quem* appellatum eſt, viſis actis, & cauſâ cognitâ, aliter decernat.

164 Iuxta S. Concilij præſcriptum, c. 1. ſeſſ. 13. de Reformat. *In cauſis viſitationis, & correctionis, ſiue habilitatis, & inhabilitatis, necnon criminalibus ante definitiuam ſententiam, ab interlocutoria, vel alio quocumque grauamine appellare non licet; Nec tenebitur Prælatus,* à quo *appellatur, eiuſmodi appellationi, tanquam friuolæ, deferre; ſed illa, & quacumque inhibitione per Iudicem appellationis emanata, necnon omni ſtylo, & conſuetudine, etiam immemorabili contraria non obſtante, ad vlteriora valeat procedere, niſi grauamen huiuſmodi, per definitiuam ſententiam reparari, vel ab ipſa definitiua appellari non poſſit:* Nec, iuxta Decretum fœl. me. Clementis VIII. conditum 16. Octobris 1600. *ante definitiuam ſententiam, vel vim definitiuæ habente, de grauamine illato* Superiores, ad quos *appellatum eſt, cognoſcere poterunt, licet ſe id citra præiudicium curſus cauſæ facere conteſtentur; nec ad hunc effectum licebit eis inhibere; aut ſimpliciter mandare, vt ipſis copia proceſſus tranſmittatur.*

165 Quod ſi Reus ante ſententiam definitiuam appellauerit, & Superiores ſuos adiuerit, ad eum, à quo appellauit, remittatur, ad iudicium eius definitiuum expectandum, & interim pœnâ Apoſtatarum indiſpenſabiliter puniatur.

166 Meminerint autem Superiores ſe ſimul eſſe Iudices, & Patres; & licet pœnas à Iure, Conſtitutionibus, vel Decretis ſtatutas (niſi aliquâ circumſtantiâ id exigente) minuere non valeant; tamen cum manſuetudine rigorem, & cum lenitate ſeueritatem adhi-

beant.

beant, ac ita ſe gerant, vt quantum fieri poteſt, ſaluâ æquitate, occaſionem appellandi, & recurrendi non præbeant.

167 Quando appellationi locus erit, ſeruabitur ordo præſcriptus in varijs Conſtitutionibus Apoſtolicis, Decretis S. Congregationis, & Statutis Ordinis; ſcilicet à Priore ad Prouincialem, à Prouinciali ad Generalem; à Generali ad Protectorem; vel Sanctiſſimum Dominum Supremum omnium Prælatorum Prælatum; ſicuti de iure fieri debet, & antiquus vſus obtinuit; Quod etiam obſeruandum decerni nos pro ſimplici recurſu.

168 Ad excurſus, & ſumptus inutiles vitandos, atq; litigia (quę Religioſos dedecent) abbreuianda, Appellans grauamina, ſeu cauſas appellationis, & alia, quæ proponere voluerit in ſcriptis ordinatè rediget, & Prælato, à quo appellauit intra tres dies poſt appellationem conſignabit; aliàs appellatio eo ipſo deſerta manebit: & Prælatus intra tres alios dies, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio ad tres menſes ipſo facto incurrendâ, reſpondebit, & omnia tàm ab Appellante, quàm ab Appellato ſcripta, & exhibita, cum copia Actorum primæ inſtantiæ, coram ijſdem clauſa, & ſigillo Conuentus munita, à Monitore, aut Secretario Conuentus, vel, ijs abſentibus, à primo Clauario quantociùs mittentur ad Prælatum, ad quem appellatum erit, vt quod iuſtum fuerit decernat.

169 Si ipſe reperiat Appellantem non probaſſe ſua grauamina, vel ea eſſe friuola, & non fundata, pœnam ei impoſitam duplicabit, & carceri ad menſem pro ſua contumacia, & rebellione damnabit; & poſtquam ea perſoluerit, illum vtraque voce priuatum ad aliam Prouinciam à P. Generali aſſignandam relegabit.

170 Si Reus ad Sedem Apoſtolicam, vel S. Congregationem appellauerit, Prælatus *à quo* terminum à iure præfixum, pro inſtituenda cauſa appellationis, abbreuiare, &, attentis circumſtantijs perſonarum, diſtantiæ locorum, & temporis, alium determinare poterit, intra quem ſi introducta non fuerit, eo ipſo appellatio deſerta erit. Si autem eum friuolè ad S. Sedem, vel S. Congregationem appellaſſe iudicatum fuerit, aut appellationem deſeruerit, vel illi ante tres dies ab ea emiſſa non renuntiauerit, aut à recurſu facto non deſtiterit, pro temeritatis ſuæ caſtigatione, vltra pœnam in ſententia inflictam, carceri mancipetur ad duos men-

menſes,& officio,gradibus, ac vtraque voce priuatus, ad exteram Prouinciam dimittatur.

171 Inſuper vt obuietur litibus, quibus nonnullorum animi nimis addicti deprehenduntur, ſtatuimus, quod qui quamcumque litem aduerſus quemcumque inceperit, ſi cauſa cadat, vltra pœnam talionis(ſi fuerit criminalis) aliam priuationis officij, & vocis, ac loci ad ſex annos ſubeat: Qui verò authoritatem Priori Generali per Ordinis Conſtitutiones conceſſam, & per Acta huius Capituli declaratam, & confirmatam impugnauerit, perturbauerit, illi non obediuerit, vel ab aliqua eius ſententia,decreto, præcepto, vel prouiſione, aut diſpoſitione quocumque modo appellauerit, ſi à Iudice, *ad quem* facta eſt appellatio, vel recurſus, contra impugnantem, appellantem, vel recurrentem, pronuntiatum, vel decretum fuerit, is ipſo facto,& abſque alia declaratione manebit perpetuò priuatus officio, voce actiuâ, & paſſiuâ, gradu, & dignitate,& vltimum locum inter Laicos tenebit. Si Clericus fuerit,ad Ordines non promouebitur,eique corona abradetur:& Laicus, vtroque caputio priuabitur, & in carcere iuxta temeritatis ſuæ exigentiam detinebitur.

172 Et quia in cauſis Eccleſiaſticis, vbi remedium appellationis adimitur, ſicuti appellationi, ita & recuſationi non eſt aliquatenus deferendum; declaramus, quod in cauſis ſupra recenſitis, in quibus prohibita eſt appellatio, etiam interdicta ſit recuſatio: verumtamen in cauſis grauibus infamiam inferentibus, admittenda eſt, ſi ſuſpicionis ſubſit cauſa legitima, & manifeſta, quæ in ſcriptis à recuſante proponetur, illique recuſatus intra vnum, atque alterum diem ſcripto reſpondebit: & omnia vtrimque exhibita, ac ſigillo Conuentus clauſa, eodem modo, quo ſupra pro appellatione ſtatutum eſt, ad Superiorem immediatum mittetur; qui, ſi recuſationem iuſtam reperiat, alium Iudicem in locum recuſati ſubrogabit; vel, ſi magis expediat, cauſam à ſeipſo cognoſcendam retinebit: ſi autem friuolam, recuſantem ad carcerem ad vnum menſem, vel vltra, iuxta exigentiam iniuriæ recuſato irrogatæ, condemnabit, & ad eum remittet, vt proceſſum inſtruat, vel iam inceptum perficiat.

173 Pendente cauſâ, recuſans in eo ſtatu, quo ante manebit: ſi ta-

men

men ſuſpectus eſſet de fuga, carceri per modum cuſtodiæ includi, vel in alio tuto loco reponi poterit.

174 Nullæ pœnarum contra Appellantes ſupra conſtitutarum remitti poterunt per P. Generalem.

175 Illi qui per modum cuſtodiæ includuntur carceri, liberi ſunt à trino ieiunio in pane & aqua præſcripto in Conſtitutionibus, ad quod ſolùm tenentur ij, qui per ſententiam ad carcerem ſunt damnati, niſi aliter, ob iuſtam rationem ordinauerit Superior.

176 Ad accelerandam terminationem proceſſuum, qui aliàs ad annos protraherentur, & præpediendum, ne Fratrum noſtrorum culpæ, & crimina Sæcularibus innoteſcant, declaramus quod, iuxta priuilegia Regularibus à S. Sede conceſſa, in quibuslibet cauſis, omiſſis apicibus Iuris, ac rigoroſâ telâ iudiciariâ, ſummariè, de plano, ſimpliciter, ſine figura, & ſtrepitu iudicij, & ſolâ veritate rei inſpectâ, ſit procedendum.

177 Etiam declaramus, quod ex antiquo vſu Ordinis noſtri, ſicut & ferè omnium Tribunalium, etiam Sæcularium, Superior ſine præcedente publica infamia, ſeù diffamatione, vel clamoroſâ inſinuatione, poteſt ex officio inquirere ſpecialiter de quolibet delicto, ex ſimplici denunciatione, vel ex indicijs, vel ex confeſſione extraiudiciali, &, ſi delictum ſemiprobatum reperiat, Reum interrogare, conſtituere, & ſententiare.

178 Proceſſus contra Fratres fabricati, aut eorum copiæ, à nemine, nec ab ipſis Superioribus, poſt expletum eorum officium, retineri, vel lacerari, aut comburi poſſunt; ſed illi qui, per ſententiam executioni mandatam, terminati ſunt, in Archiuio communi Prouinciæ tempore Capituli Prouincialis reponi, & cuſtodiri debent, ſub pœna priuationis officij, & gradus ijs qui ſecus fecerint: Proceſſus tamen eorum qui obierunt comburendi ſunt, ſi ſine præiudicio eorum, qui adhuc in viuis degunt, fieri poteſt.

Pro Studijs, & Gradibus.

179 Multa de Studijs, & Studentibus aliàs, & pluriès, tàm in Conſtitutionibus Ordinis, quàm in præcedentium Capitulorum

Gene-

Generalium Decretis, pro illorum recto regimine ſtatuta ſunt; quibus Definitores Generales ſequentia adiungi, & imposterùm obſeruari inuiolabiliter voluerunt, non obſtantibus quibuſcumquè in contrarium antea ordinatis, quibus tenore præſentium derogauerunt, cęteris in ſuo robore permanentibus.

180 Primò, Nullus imposterùm admittatur ad Studia Artium, multó minùs ád curſum Theologicum aggrediendum, niſi priùs habeat teſtimonium iuratum Prouincialis, & Conuentuum omnium, in quibus de familia aliquando degerit, per vota ſecreta Communitatis firmandum, de vita, & morum probitate (quod pariter pro quolibet Ordine Sacro ſuſcipiendo neceſſarium eſſe decernitur) Deindè niſi per quinque ſaltèm Examinatores à Reuerendiſs. P. Generali deſtinandos, præuio rigoroſo Examine per totam Grammaticam, fuerit repertus idoneus, & per vota ſecreta approbatus, necnon per litteras ſingulorum examinatorum Iureiurando firmatas, & P. Generali directas præſentatus; Quo in teſtimonio caueant, ne Patrem Ordinis decipiant, & culpâ periurij propriam onerent conſcientiam. Ille verò cenſeatur approbatus, pro cuius ſufficientia maior, & ſanior pars Examinatorum ſteterit. Quod de omni, & quolibet alio examine, tám pro Ordinibus, quàm pro approbatione ad ſtudia, Curſoratum, & Gradus ſtatuitur. Taliter Approbato concedantur Litteræ Patentes admiſſionis ad ſtudia Artium cum omnibus Priuilegijs huiuſmodi Studentibus in Religione noſtra, tàm de Iure, quàm de Conſuetudine conceſſis. Et in Regeſto Religionis adnotetur Dies, Menſis, & Annus expeditionis illarum. Patentes verò his omnibus non ſeruatis conceſſæ, ſint ipſo facto irritæ, & nullæ. Inſuper Teſtimonium huiuſmodi præſentationum ad ſtudia adnotari faciant Prouinciales in Libro ſuæ Prouinciæ cum ſubſcriptione omnium Examinatorum teſtificantium omnia illa obſeruata fuiſſe; vt pro quocumque dubio occurrenti veritas illuceſcat.

181 Tempus trium Annorum inſumetur pro integro Curſu Artium. Quorum primus aſſignatur pro Logica: ſecundus pro Phyſica, Libris de Cœlo, & Mundo, de Generatione, & Corruptione, Metheoris, & de Anima: & tertius pro tota Metaphyſica.

phyſica. Ante triennium illud expletum, inchoandumque à die primæ lectionis Logicæ (de quo priùs ſpeciale habeatur teſtimonium iuratum per Vocales Conuentus, in quo ſtudia inceperunt, & ſimul de vita, & moribus, vt ſupradictum eſt) & niſi præuio rigoroſo examine, vt ſuprà conſtet de ſufficientia, profectu, & ſcientia, & habitæ fuerint priùs de iſtis omnibus publicæ Theſes, non dentur Patentes pro Curſoratu, nec licentia tranſeundi ad ſtudia Theologiæ: & ſecus datæ ipſo facto ſint irritæ, & nullæ.

182 Pro integro Curſu Theologiæ in quatuor libros Sententiarum noſtri Reſoluti Doctoris Bacconij; vel in quatuor Partes Summæ D. Thomæ requiſito iuxta noſtras Conſtitutiones ad obtinendum Gradum Lectoratus, vt accuratè, & non nimis properanter perficiatur, ſeptem annos pro omnibus Tractatibus habendis inſumendos eſſe ſtatuimus. Quibus completis, & non aliter, vnuſquiſque Studentium in Italia, & Inſulis adiacentibus teneatur Romam accedere pro huiuſmodi gradu Lecturæ, ſeù licentia publicè legendi obtinenda; quorum neutrum detur, niſi medio rigoroſo examine faciendo ſuper Vniuerſam Logicam, Philoſophiam Naturalem, Metaphyſicam, & Theologiam, coram Reuerendiſs. P. Generali Ordinis (vel eius Vicario Generali) Procuratore Generali, duobus Socijs Generalibus, Lectore publico Metaphyſicæ in Romana Sapientia, Secretario Ordinis, & Regente Tranſpontinæ: qui omnes habebunt votum conſultiuum & deciſiuum: ſicque approbatio, vel reprobatio per vota Secreta in omnibus, & per omnia, ſicuti ſupradictum eſt de examine pro Curſoratu. Præcipientes in virtute ſanctæ Obedientiæ, & ſub pæna excommunicationis ipſo facto incurrendâ, & Reuerendiſsimo Patri Generali reſeruatâ omnibus, & ſingulis Examinatoribus, tàm pro hoc, quàm pro quolibet alio examine ſupradicto deſignatis, vt nulli indigno votum fauorabile concedant, nulli, quem ſecundùm conſcientiæ ſuæ dictamen cognouerint idoneum, negent, teneanturque ad reſtitutionem omnis damni, & intereſſe: & ſub eiſdem pœnis nemini vnquàm reuelent, quis votum affirmatiuum, vel negatiuum dederit, quis in fauorem, quis contra examinatum locutus fuerit. Litteræ

teræ autem Patentes, quolibet horum omiſſo, ſint ipſo facto irritæ, & nullæ.

183 Si quis examinatus repulſam paſſus fuerit, is ante duos annos expletos à die repulſæ numerandos, ad aliud examen nulla ratione admitti poterit, nec ſuper hoc diſpenſare poterit P. Generalis.

184 In alijs veró Regnis, & Prouincijs extra Italiam, & Inſulas adiacentes præſentatio tàm pro Curſoratu, quàm pro Lectoratu, fiat à Prouinciali, & Definitoribus, expleto tempore trium annorum pro curſu Philoſophiæ, & ſeptem pro curſu Theologiæ, vbiquè locorum inuiolabiliter obſeruando, & præuio rigoroſo examine, & approbatione præſtandâ modo, & formá ſupradictis. In quo examine, & approbatione extra Italiam votum Conſultiuum, & deciſiuum habeant Prouincialis, & Definitores, (ſi ſint idonei) Regentes, Lectoreſque omnes actu legentes in illo Conuentu, in quo faciendum eſt examen, & omnes alij, quos Pater Ordinis deſtinabit. Pro Prouincijs Hiſpaniæ obſeruentur leges municipales pridem Statutæ.

185 Baccalaureatus gradu nemo inſigniri poſſit, niſi per teſtimonium iuratum Prouincialis, & Definitorum conſtiterit diligentiſſimè, & cum ſtudentium profectu Lecturam totius Logicæ, Phyloſophiæ naturalis, & Metaphyſicæ per tres annos compleuiſſe: ſine cuius Lecturæ Curſu perfecto, nullus promoueatur ad Lecturā Theologiæ: pro qua nullum tamen prærequiritur examen, quia pro illa vnuſquiſque ſufficienter cenſeri debet probatus in promotione ad Lectoratum. Teſtimonium tamen iuratum Communitatis de vita, & moribus, vt ſupra neceſſariò habendum eſt.

186 Quæ omnia reſpectiuè obſeruabuntur in collatione Magiſterij, cuius gradus nemini concedatur, niſi præuio teſtimonio iurato Communitatis de vita, & moribus; & niſi à Prouinciali, & Definitoribus Reuerendiſſimo Patri Ordinis præſentetur, cum teſtimonio pariter iurato, quod ſeptem Annos Lecturam totius Theologiæ cum honore, & fructu perſeuerit; ſuper quod tempus nullo modo, nullâque de cauſa poſſit Pater Ordinis diſpenſare. Quod ſi ſecùs factum fuerit, litteræ patentes inſtitutionis ipſo

facto

facto ſint irritæ, & inualidæ. Nullo tamen alio præuio examine, & approbatione de ſufficientia; hæc enim probata ſupponũtur in examine Lecturæ, vt dictum eſt ſupra de gradu Baccalaureatus.

187 Laurea deniquè Doctoralis in Italia, & inſulis adiacentibus nulli conferatur, niſi priùs ſit Magiſter de Curſu, & de licentia expreſſa in ſcriptis Generalis, ſub pœna nullitatis; & ſi quis alius non Magiſter, vel ſine tali licentia Reuerendiſsimi Patris, illâ ſe inſigniri permiſerit, ſtatìm omni gradu, & dignitate perpetuò careat. Et ſi Priuilegijs dictæ Laureæ, ſic illicitè, & inualidè obtentæ, quocumque quæſito colore, pro aliquo actu, ſiuè in Religione, ſiuè extrà, vti auſus fuerit, pęna excommunicationis maioris ipſo facto incurrenda ſciat ſe eſſe innodatum, à qua abſolui non poſſit, niſi per Capitulum Generale, debitâ peractâ pœnitentia, & ſub iureiurando, quod abiuratis *Laureæ* Priuilegijs, illis ampliùs non ſit vſurus.

188 Pro illa in Religione à Reuerendiſſimo Patre obtinendâ (qui per Breue fæl. record. Clem. X. ſolus facultatem habet, illam conferendi) vnica lectio ſuper tres Concluſiones Theologicas, ab ipſo Reuerendiſs. P. Magiſtris laureandis deſignandas, ſufficiet; ſi tamen difficultatibus contra illas ab Examinatoribus per ipſum Reuerendiſs. Patrem deſignatis, rectè, & funditùs reſponſum fuerit; cuius deciſio fiat per vota ſecreta, vt in alijs examinibus dictum eſt. Extra verò Religionem ab aliqua Vniuerſitate, ſed non niſi à Magiſtris de curſu, & de licentia ſolius Reuerendiſſimi Patris priuatiuè quò ad omnes alios ſub pœnis ſupradictis.

De Lectoribus, & Regentibus.

189 Lectores, & Regentes pro muneris ſui debito teneantur, quotidie indiſpenſabiliter ſaltem vnam lectionem manè facere, & poſt Veſperas vni Theſi ab aliquo Studentiũ defendẽdæ, duobus alijs arguentibus, aſſiſtere, & hoc à die Natiuitatis Beatiſſimæ Dei Genitricis V. M. vſque ad ſeptuageſimam: Deindè à die Cinerum vſquè ad feſtum SS. Petri, & Pauli, exceptis diebus

feſtis de præcepto, & feria quinta cuiuslibet hebdomadæ, in quibus ſpiritualibus exercitijs vacabunt; feria autem ſexta, vice lectionis, & diſputationis, Lectores, & Regentes congreſſum omnium ſtudentium tàm manè, quàm poſt veſperas habebunt, in quo manè vnus alteri per ordinem à primò vſquè ad vltimum opponet per ſquæſtiones vnicuiquè benè viſas; & poſt veſperas omnes examen ab ijſdem Lectoribus, & Regentibus ſuper Tractatus tã Philoſophiæ, quàm Theologiæ ſibi lectos ſubibunt.

190 Declaratum eſt, quod Prior poſſit (nemine conſulto) compellere quemlibet Lectorem, vel Regentem, etiàm Studij Generalis, ad functiones ſuæ Regentiæ adimplendas, iuxta præſcriptum §.4. cap.18. par.1. Conſtitutionum, & Decreti præcedentis.

191 Quando Regens non legit horis congruis, in facultate Prioris ſitum eſt alias opportuniores pro officio Diuino, & Actibus Communitatis deſignare.

192 Si Regens ſpontè vltra dies à Conſtitutionibus præſcriptos v. g. toto menſe Iulio legerit, poteſt, imò debet Prior illi ordinare, vt tempore ſtatuto ſuas lectiones reſumat; immediatè ſcilicet poſt feſtum Natiuitatis Beatæ Dei Genitricis Mariæ.

193 Tempore Feriarum, & quando non legitur, vel ſi legatur, poſt terminatos actus Scholaſticos, Regens ſecundùm Conſtitutiones non poteſt prætendere, vt Studentes ab eo petant veniam egrediendi è Conuentu, minus illis eam negare: congruum tamen eſt, & praxi variorum Conuentuum conforme, vt Studentes egreſſum ſuum illis indicent, quatenùs, ſi ſubeſſet cauſa Studentem in Conuentu retinendi, eam declaret Priori.

194 Regens nullam habet iuriſdictionem in Studentes, nec auctoritatem imponendi vllas pœnitentias faciendas extra Scholam, etiam pro erratis, ſeù defectibus commiſſis in ſchola, vel alijs ſpectantibus ad ſtudium; ſed ſolus Prior poteſt, & debet pœnam errato congruam, non autem eam, quam fortè Regens peteret, infligere.

195 Si extra Scholam, aliquis Studentium peccaret contra reſpectum debitum ſuo Regenti, non ipſe Regens offenſus, ſed Prior debet errantem caſtigare.

196 Non licet Regenti extra horas præſcriptas pro actibus Scholaſticis ad ſonum Campanellæ conuocare Studentes ad Scholam, vt ibi Studentem corripiat.

197 Regentes non poterunt prædicare tempore Aduentus.

De Patribus Prouinciæ.

198 Si quis autem adepto Gradu Magiſterij, Laureâque Doctorali inſignitus, in laborum meritis ſupererogare voluerit, & cum titulo Regentis, (qui deinceps non niſi Magiſtris de Curſu concedatur) per alios decem annos legere, & alijs Lectoribus in omnibus diſputationibus, & Actibus Scholaſticis præſidere voluerit, vt maiori cum profectu, & honore Religionis Studia ſemper floreant, vberesque virtutum fructus producant, expleto tali tempore, titulo, & priuilegijs Patris Prouinciæ decoretur. Idem ſtatuimus de illis, qui ad meritum Scolaſticæ lecturæ addiderint alium diſtinctum Curſum eximij Concionatoris, & per decem annos, vel ſimul tempore lecturæ, vel poſt lecturam decem Quadrageſimales Curſus in Eccleſijs quibuslibet Cathedralibus, Matricibus, Præpoſitiuis, vel etiam Inſignioribus Ordinis noſtri per Reuerendiſſimum Patrem deſignandis, laudabiliter, & cum magna animarum ſalute, & religionis fama, & honore compleuerint, & de hoc teſtimonium iuratum Prouincialis, & Definitorum illarum Prouinciarum, in quibus Quadrageſimales curſus perfecerint, exhibuerit. Iiſdem titulo, & priuilegijs Patris Prouinciæ gaudeat, qui præter lecturam curſus Philoſophici, & Theologici, inſignes aliquos libros Typis dederit, vel alia præclara opera ſupradictis æquiualentia, ediderit: cuius æquiualentiæ iudicium per vota ſecreta firmandum erit cum iuramento ex ſententia Prioris Generalis, Sociorum Generalium, & omnium aliorum Examinatorum, qui deſtinati fuerint in Romana Curia pro promouendis ad gradum, & officium Lecturæ. Officium autem, & labor Secretarij Generalis Ordinis cenſeatur æquiualentia merito Lecturę iuxta quantitatẽ temporis, quo illud exercuerit. Idem dicimus de officio Sociorum Reuerendiſſimi Patris, & Lectoris publici cuiuſcumquè

Vniuerſitatis, ad proportionem temporis, quo huiuſmodi omnia laudabiliter exercuerint.

199 Priuilegia autem Patrum Prouinciæ hæc erunt. Primò; poſt dignitates, & officia Prioris Generalis, Ex-Generalis, Procuratoris Generalis, Ex-Procuratoris Generalis, Sociorum Generalium, Prioris Prouincialis, tàm Realis, quàm Titularis, Secretarij Ordinis, ac Prioris Conuentualis in eo Conuentu, in quo de familia morantur, titulus Patris Prouinciæ ſit gradus omniũ maximus; & in omnibus Actibus tàm publicis, quàm priuatis, tàm intra, quàm extra Religionem, ſicuti ſimplices Magiſtri omnes Graduatos, ità & Patres Prouinciæ omnes alios Magiſtros, qui non fuerint Patres Prouinciæ, præcedant. Inter ipſos autem Patres Prouinciæ præcedentia incipiat à die datarum litterarum ſui gradus, ſicut inter alios Graduatos moris eſt; & ſi in data litterarum gradus Paternitatis Prouinciæ fuerint æquales, ille præcedat, qui priùs fuerit Magiſteri & ſi etiam in data Magiſterij fuerint æquales, præcedentia attendatur à die Profeſſionis.

200 Secundò. Huiuſmodi Patres Prouinciæ ex merito ſint perpetui Definitores cum voto conſultiuo, & deciſiuo in omnibus electionibus, determinationibus, & Actibus, tàm Definitorij, quàm cuiuſcumque Capituli, tàm Conuentualis, quàm Prouincialis, (non tamen Generalis) ſiuè propriæ, ſiuè alienæ Prouinciæ, in qua fuerint de familia, ſicut & cæteri illarum Definitores, vel Conuentuales; In ipſis etiam Definitorijs, ſiue propriæ, ſiue alienæ Prouinciæ, præcedant omnes Definitores, qui ex meritis ſupradictis non fuerint Patres Prouinciæ.

201 Tertiò. Votum conſultiuum, & deciſiuum habeant in omnibus examinibus, tàm promouendorum ad Studia, quàm ad gradus, vel Ordines quoſcumquè, ſi fiant in Prouincijs, vel Conuentibus, in quibus degunt de familia, vel ad illa accedere voluerint.

202 Quartò. Habeant facultatem (de conſenſu tamen Prioris Generalis, vel Prouincialis) ſibi in Socium aſſumendi aliquem Fratrem Laicum, ſibi benè viſum, prouidum, & fidelem, qui eis in omnibus Religioſis neceſſitatibus inſeruiat; Cui tamen ipſi Patres Prouinciæ Veſtiarium pro ipſius religioſis ne-

 ceſſi-

ceſſitatibus ſubminiſtrare debeant.

203 Quintò. Non poſſit Prior Generalis nequè Priuilegia, neque gradum Patris Prouinciæ vlli conferre ex gratia, ſed tantum ex merito, vel Lecturæ decem annorum poſt adeptum gradum Magiſterij per alios ſimiles decem Lecturæ annos, vel per merita æquiualentia probanda, vt diximus, per vota ſecreta ipſius Generalis, Sociorum Generalium, & aliorum Examinatorum, qui in Romana Curia deſtinati ſunt pro promouendis ad ipſam Lecturam, & hoc ſub iureiurando; Aliàs litteræ patentes ſint ipſo facto irritæ, & nullæ.

De Ordine incedendi, ſedendi &c.

204 Primò. Præcedentia in omnibus actibus tàm publicis, quàm priuatis, tàm intra, quàm extra Religionem, in omni loco, & caſu ſemper incipiat à Priore Generali tamquam à ſupremo capite Religionis. Secundò. Poſt Priorem Generalem ſubſequantur Ex-Generales. Tertiò. Procurator Generalis in Romana Curia, tamquàm ſolus totius Ordinis Procurator Generalis. Quartò. Prouinciales Reales. Quintò. Prouinciales Titulares, & qui eorum priuilegijs gaudent, qui, tàm inter ſe, quàm inter Prouinciales Reales extra eorum Prouinciam locum ſui gradus, vel Profeſſionis ſi graduati non fuerint, reſpectiuè ſeruabunt. Sextò. Socij Generales, & Secretarius Ordinis (qui vnicus tantùm erit) gaudeant priuilegijs Prouincialium Titularium. Dum autem comitantur Priorem Generalem in actuali Viſitatione alicuius Conuentus, vel Prouinciæ, præcedant omnes Priores, tàm locales, quàm Prouinciales. Septimò. Priores Locales, qui in ſuis tantùm Conuentibus omnes Graduatos, & etiam Prouinciales tàm Titulares, quàm Reales aliarum Prouinciarum, (qui in ipſos nullam habent iuriſdictionem) & etiam Patres Prouinciæ precedant: In alijs verò locis ſuæ iuriſdictioni non ſubditis, vt in cubiculo pro ſolita habitatione, & reſidentia Reuerendiſſimi Patris locum ſui gradus, vel ſi graduati non fuerint, ſuæ profeſſionis ſeruabunt. Octauò. Magiſtri de Curſu (inter quos Patres Prouinciæ cæteros præcedant) inter ſe autem teneant lo-

cum

cum ſui gradus, vel profeſſionis. Nonò Baccalaurei, & Lectores inſtituti tenant locum ſibi à Conſtitutionibus iam conceſſum. Decimò. Lectores autem, qui in poſterum inſtituentur, iuxta præſcriptum Decretum preſentis Capituli Generalis, cum eorum examen equiualeat examinibus præteritorum Magiſtrorum, præcedant omnes, qui non habent quadraginta annos profeſſionis: Baccalaurei autem pariter iuxta formam eiuſdem Decreti inſtituendi præcedant quinquaginta annos profeſſionis non habentes. Vndecimò. Subpriores impoſterùm nullos præcedent Baccalaureos, nec Lectores inſtituendos ad formam Decreti huius Capituli Generalis, nec Sacerdotes ſimplices quadraginta annos habentes in profeſſione: ſi autem fuerint Vicarij in capite, teneant locum Prioris. Duodecimò. Sacerdotes ſimplices præcedant Diaconos, Diaconi Subdiaconos, Subdiaconi alios Clericos; Clerici autem omnes, etiam Nouitij, Laicos Profeſſos. Inter ſe autem ille præcedat, qui priùs fuerit profeſſus. Inter nouitios verò, & Semi fratres incipiet præcedentia ab ingreſſu Religionis, & ſi plures ſimul admiſſi fuerint, qui primò habitu indutus fuerit, alios præcedet. Decimotertiò. Curſores ſciant ſe non eſſe Graduatos, ſed in omnibus actibus extra Scholam teneant locum ſuæ Profeſſionis. In Scholaſticis autem functionibus, teneant locum ſui Curſoratus.

205 In Prouincijs autem Reformatis, quæ gradus, & priuilegia non admittunt; eorum Conſtitutiones, & conſuetudines obſeruentur. Si autem contigerit aliquem ex eiuſmodi Religioſis de licentia Prioris Generalis ad alienas Prouincias, in quibus gradus vigent, demigrare, & per teſtimonium iuratum tàm Prouincialis, quàm Definitorum ſuarum Prouinciarum probauerint, ſe omnia illa peregiſſe, quæ ad obtinendum gradum Lectoris, Baccalaurei, & Magiſtri, tamquàm merita neceſſaria præſcribuntur per hæc decreta; poterit Reuerendiſſimus Pater Generalis eis litteras Patẽtes concedere, virtute quarum in alijs Prouincijs gradus admittentibus illorum reſpectiuè priuilegijs, & præcedentijs gaudeant, quibus Graduati. Secus verò non; & ſi aliter factum fuerit, ipſo facto ſit irritum, & inane. Reipublicæ etenim præmia non niſi ad proportionem meritorum ſunt diſtribuenda.

206 Quamuis tàm Legibus, quàm Canonicis Sanctionibus, atquè proprijs noſtri Ordinis Conſtitutionibus graues pœnæ ſtatutæ ſint contra componentes, vel publicantes libellos, aut quaſcumque litteras, vel ſcripturas diffamatorias; nihilominus eo vſque excreuit nonnullorum Fratrum peruerſitas, & malitia, vt non vereantur libellis impreſſis, & litteris anonymis conuitia, & iniurias continentibus, quandoque ad Illuſtriſſimos Prælatos, Eminentiſſimos DD. Cardinales, ac ipſum Chriſti Vicarium deſtinatis, non ſolùm Fratrum, ac Superiorum ſuorum, ſed etiam exterorum famam proſcindere, & animas ſuas æternæ damnationis (ob difficultatem reſtitutionis) proximo periculo exponere: Volentes igitur obuiare huiuſmodi facinoribus, & grauiſſimo damno noſtræ Sanctæ Religionis, ac priuatis Perſonis obuenienti, & Subditorum noſtrorum ſaluti proſpicere; omnibus noſtri Ordinis Alumnis, cuiuſcumque ſuperioritatis, gradus, vel conditionis ſint, in virtute Sancti Spiritus interdicimus, ne vllas litteras, vel alia ſcripta anonyma, ſub quocumque titulo, vel prætextu, etiam libelli ſupplicis, continentia iniurias, conuitia, vel quocumque modo famam, & honorem cuiuſcumquè Domeſtici aut externi lædentia componat, ſcribat, typis mandari curet, vel ab alijs compoſita, ſcripta, aut typis mandata retineat, quocumque modo manifeſtet, publicet, aut ad quemcumque tranſmittat, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ P. Generali reſeruatæ, priuationis graduum, Officij, vtriuſquè vocis, ac inhabilitatis, & infamiæ perpetuæ, nec non carceris ad annum, vel vlterius iuxta exigentiam delicti, ipſo facto incurrendis. Quas omnes etiam eodem modo incurrent ſinguli, qui illa fieri mandauerint, conſuluerint, aut quocumque modo opem dederint, vel illa ſcientes, aut habentes, vel Authorum, Conſulentium, & Cooperatorum notitiam habentes, Superioribus ſtatim non aperuerint, vel ſcripta non conſignauerint.

207 Omnibus, cuiuſcumque gradus, aut ſuperioritatis ſint, prohibetur detinere in Cella arma prohibita, (etiam prætextu venatio-

nationis, quæ per Sacros Canones Clericis, & potiori iure Religioſis interdicta eſt) ſub pœna, Sacerdotibus priuationis vocis, & loci in perpetuum, & carceris ad annum: Clericis inhabilitatis perpetuæ ad Ordines, & carceris ad triennium; Conuerſis verò triremium ad tres annos. Illis autem, qui aliqua illorum geſtaſſe probabitur, pœna afflictiua duplicabitur. Si autem in quibuſdam Conuentibus ad propriam defenſionem contra Latrones, & maleuolos, neceſſaria ſint, licebit illa detinere in aliquo cubiculo clauſo, cuius clauis manebit penes Priorem, ſi tamen Prouincialis id ſcripto permiſerit; nec Religioſis tradentur, niſi in caſu prędictæ neceſſitatis.

208 Quando in noſtris Conſtitutionibus pro aliquo delicto noneſt pœna ſtatuta, recurrendum eſt ad pęnas per Sacros Canones præſcriptas; & ijs deficientibus, deſumendæ ſunt à Legibus, ad ſtatum Regularem, & Conſtitutionum noſtrarum normam moderandis, & dirigendis: quæ ſi etiam deſint, Superior poterit imponere pęnas in alijs Religionibus vſitatas, vel alias iuxta qualitatem criminis, pro ſuo arbitrio ſtatuendas.

209 Et quando in tranſgreſſorem alicuius Conſtitutionis, vel Decreti ſtatuta eſt pęna priuationis vocis; pro Conuerſis intelligenda eſt priuatio caputij.

210 Quia in Conſtitutionibus, & Decretis Capitulorum, ſiuè Generalium, ſiuè Prouincialium, nec non Priorum Generalium, & Prouincialium, ſæpè tranſgreſſoribus infligitur pęna priuationis vocis, & loci, vel officij, vel ſuſpenſionis gradus, vel dignitatis, vel inhabilitatis; & in iiſdem Conſtitutionibus Ordinis part. 5. cap. 7. 8. & 9. & Reformationis part. 4. cap. 16. cauetur, quod ſi eiuſmodi pęna ſtatuatur *ipſo facto* incurrenda, *Is intelligitur priuatus, depoſitus, ſuſpenſus, & inhabilis, ſi in Capitulo, vel viſitatione fuit conuictus, vel confeſſus coram ſuo Superiore*, & quidem *abſque alia ſententia*; nihil autem exprimunt de pęnis ſimpliciter incurrendis, ſeù quibus non additur *ipſo facto*: & etiam à nonnullis dubitatum eſt, quando quis cenſendus ſit legitimè conuictus; Ad occurrendum eiuſmodi dubijs, declaratum eſt, quod ſecundùm ſenſum Conſtitutionum, & vſum Ordinis pro modo infligendi pęnas, quæ *ipſo facto* non incurruntur, ſufficit,

quod

quod tranſgreſſor ſit in Capitulo, vel viſitatione conuictus, vel confeſſus coram ſuo Superiore; ſed Superior debet tunc verbo, vel ſcripto proferre ſententiam priuationis, depoſitionis &c. ad id tamen Superior non tenetur, quando appoſita ſunt verba, *ipſo facto*, quia tunc abſque alia ſententia manet priuatus, depoſitus &c. In vtroque autem caſu tranſgreſſor legitimè conuictus manebit, quando Superior, habitâ congruâ probatione culpæ ad conuictionem ſuper dictam culpam, in Capitulo, vel tempore viſitationis extra Capitulum coram Superiori locali, & duobus Diſcretis Conuentus, illum verbaliter interrogauerit, & reſponſiones illius ad euacuandam culpam inſufficientes reperierit; vel, ſi ſufficientes fuerint, illico Tranſgreſſor teſtes ad illas probandas non nominauerit; tunc enim conuictus cenſebitur: Si verò eos nominauerit, Superior tenebitur illos verbaliter interrogare, & poſtea perpēſis illorum teſtimonijs declarare an ſit conuictus, vel non: Quæ omnia per Aſſiſtentem Prouincialis, vel Secretarium Conuentus (qui iuxta vſum Ordinis ſunt Actuarij, ſeù Notarij nati pro eiuſmodi cauſis, & criminalibus) deſcribentur in libro Prouinciæ, vel Conuentus, iuxta formulam in calce ponendam, iiſque ſubſcribent Prouincialis, vel Prior, & duo Diſcreti, aut alij, qui iſtis præſentes fuerint cum Actuario, & eiuſmodi Acto plena fides adhibenda eſt. In cauſis tamen grauibus, quæ infamiam iuris annexam habent, ſcripto procedendum erit, & ſeruanda erunt ſubſtantialia iudicij, ſcilicet citatio, probationes, & defenſiones; ſed de plano ſine figura iudicij, ſolâque rei veritate inſpectâ, vt dictum eſt in Decretis anterioribus.

211 Prohibetur ne quis Profeſſorum Ordinis noſtri, cuiuſcumq; ſit gradus, ſuperioritatis, aut conditionis, negotium aliquod, vel cauſam, aut litem quamcumque in Curia Pontificia per ſe, vel alium, pro ſe, vel alio, etiam pro Prouincia, vel Communitate alicuius Conuentus, virtute commiſſionis ſibi datæ à Prouinciali, Priore, vel Communitate, aut quouis alio titulo tractare, inchoare, intentare, vel defendere audeat, quam per Procuratorem Generalem Ordinis, aut de illius, vel P. Generalis expreſſa licentia in ſcripto obtenta, ſub pęna priuationis gra-

dus

dus, officij, & vocis, ac loci ipſo facto incurrenda.

212 Inſuper ordinatum eſt, vt anteſcripta Decreta ſingulis menſibus legantur in prandio tempore primæ menſæ ſub pęna ſuſpenſionis ab officio ad Menſem Priori id omittenti.

213 Cùm in Conuentu noſtro S. Mariæ Tranſpontinæ reſideant Prior Generalis, & Procurator Generalis, & ad eum confluant omnes, qui ex Prouincijs ad Vrbem pro negotijs veniunt, crebròque occurrat neceſſitas inſpiciendi libros à noſtris Religioſis elucubratos, vel pro eorum, vel pro Ordinis honore tuendo, ordinatur Prouincialibus ſingularum Prouinciarum, vt vnum exemplar omnium librorum per ſuos ſubditos à decem annis editorum, & duo exemplaria deinceps edendorum tranſmitti curent ad dictum Conuentum S. Mariæ Tranſpontinæ pro illius Bibliotheca.

214 Denique, quia nihil ita officit diſciplinæ Regularis, ac Reformationis vniformitati, quam exemptiones, & priuilegia, quę frequenter à Superioribus ſubreptitiè, & illicitis modis exorquentur potius, quam impetrantur, tenore præſentium omnes gratiæ, exemptiones, priuilegia, conceſſiones, obedientiæ, & facultates manendi in aliquo Conuentu, imprimendi libros, & quæcumque aliæ, quibuſcumque datæ reuocantur, & annullantur, donec à Reuerendiſſimo P. de nouo conceſſæ fuerint.

Ex declarationibus EE. DD. Cardinalium S.R.E. Interpretum S. Concilij Tridentini circa diſpenſationem P. M. Acoſta.

IN Conſtitutionibus Carmelitarum p. 1. c. 22. ita diſponitur: *Item volumus, quod illi, qui habuerint in Ordine bonorum Communitatis Ordinis diſpenſationem, puta Prior Generalis, Prouinciales, Procuratores Ordinis, valeant, ſecundum quod conſcientia eis dictabit, de bonis mobilibus ad vſum ſuum retentis, exceptis ſcriptis, & libris, (quos volumus omninò reponi in Libraria Conuentus, ad quem ſpectabunt) intra Ordinem diſponere & ordinare communitatibus Ordinis, Prouinciarum, ſeu Conuentuum & etiam ad vſum vagum, & incertum Fratrum Studentium, Prædicatorum, & aliorum: ſic tamen, quod proprietas ſemper ſit alicuius Communitatis &c.*

Hæ Conſtitutiones non ſunt à Sede Apoſtolica confirmatę, ſed tantùm recognitæ ex Decreto Capituli Generalis celebrati anno 1625.

PaterMagiſter Acoſta anno 1664. obtinuit à Patre Generali facultatem diſponendi intra limites Conſtitutionis prædictæ, & obtinuit à D. Nuntio Hiſpaniarum confirmationem, & ſucceſſiuè anno 1676. in vltima voluntate de ſuis mobilibus, cæteroqui pretioſiſſimis, diſpoſuit: ſed cum D. Vicarius Generalis putet id repugnare paupertati, dum videtur quædam teſtandi ſpecies: Ideò P. Procurator Generalis pro hoc, & aliis caſibus qui poſsēt occurrere, mediante libello per Sanctiſſimum remiſſo, pro declaratione inſtat decerni.

Primò. An diſpoſitio dicti Patris Acoſta ſit valida?

Secundò. An prædicti Regulares poſſint iuxtà prædictam Conſtitutionem diſponere?

Reſp. 26. Martij 1678. Sacra Congregatio Eminentiſs. S.R.E. Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum ad vtrumque reſpondit negatiuè.

Card. Columna Præfectus.

Loco ✠ ſigilli.

S. Archiepiſc. Brancatius Epiſc. Viterbien. Secr.

Copia Decretorum conditorum à Reuerendiſſimo D. Matthæo Orlandò tunc Priore Generali, nunc Epiſcopo Cephaluditano.

Fr. Matthæus Orlandus S. Theologiæ Magiſter, ac humilis Prior Generalis Fratrum Beatiſs. Virginis Mariæ de Monte Carmelo.

CVM SS.D.N. Clementi X. placuerit Nobis concedere facultatem expreſſam in anteſcripto Breui, Nos, pro fœliciori electione Priorum, & aliorum Officialium in præfatis Prouinciis, volentes vti authoritate à Sua Sanctitate benignè conceſſa, virtute illius, & tenore præſentium, ſequentia ſtatuimus, & ordinamus.

1 Approbamus, & confirmamus abrogationem electionum antehac à Communitatibus fieri ſolitarum: & ordinamus, quod deinceps Priores ſingulorum Conuentuum eligentur à Definitorio Capituli Prouincialis, ſcilicet à Præſidente, Prouincialibus electo, & recenter abſoluto, & quatuor Definitoribus: Qui numerus nunquam augeri poterit, ſub poena vſurpantium authoritatem maiorum, & nullitatis electionum, niſi P. Generalis pro tempore exiſtens præſideat eiuſmodi Capitulis, quo caſu duntaxat, duo Socij illius etiam habebunt vocem in dictis electionibus.

2 Priores eligentur horis matutinis, poſt cantatam miſſam de Spiritu

San-

Sancto (cui intererunt omnes Gremiales) & ſigillatim pro ſingulis Conuentibus, ſecundùm ordinem anteà ſeruatum, & iiſdem prorſus modo, ac forma, quibus Communitates eligebant; ſcilicet iuramento prius à ſingulis de Definitorio præſtito in forma infrà præſcribenda, per ſuffragia ſecreta, à tribus Scrutatoribus accipienda, & legenda, interpoſito Decreto electionis, cæteriſque ſeruatis, quæ in Conſtitutionibus præſcribuntur; aliàs ſi quidquam eorum omittatur, ipſo facto huiuſmodi electiones ſint irritæ, & nullæ.

3 Si in prima, ſecunda, & tertia electione nullus habuerit plura ſuffragia, quàm cæteri ſimul, Præſes inſtituet illum, quem ex eis ſecundùm Deum iudicauerit capaciorem: ſuper quo eius conſcientiam oneramus.

4 Nullus Definitorum poterit eligi in Priorem, nec etiam Aſſiſtens Prouincialis, ſub pœna nullitatis dictæ electionis ipſo facto. Et ſi contingeret in Definitorio Capituli Prouincialis in Priorem alicuius Cōuentus eligi Prouincialem in dicto Capitulo abſolutum, ille confirmari non poterit, niſi habuerit quinque vota ex ſeptem, aut, Præſidente Generali, ſex ex nouem.

5 Aliquo Priorum mortuo, aſſumpto, aut aliàs amoto, Prouincialis Vicarium inſtituet, qui regat Conuentum vſque ad proximam Cōgregationem annuam, in qua Prior eligetur: quæ ſi poſt illam inſtitutionem non eſſet celebranda, ſed Capitulum Prouinciale, Vicarius ſic inſtitutus in eo habebit vocem & locum Prioris, in cuius locum ſuffectus eſt.

6 Similiter ordinamus, quod deinceps Suppriores, Sacriſtæ, & Procuratores ſingulorum Conuentuum eligentur à dicto Definitorio, aut in caſu mortis, vel amotionis in Congregatione annua, eodem planè modo, quo Priores, exceptis Scrutatoribus, qui de iure communi ſolū ſunt neceſſarij in electione Prælatorum: declarantes præfata officia non eſſe electiua, ſed manualia, licet fiant per electionem; cum eiuſmodi Officiales non ſint Prælati, nec electio eorum confirmanda ſit à Superiore.

7 Ne autem contingat mala ex quæſito electionibus remedio augeri, ſi videlicet ij, quibus illas faciendas nunc committimus, conculcata conſcientia, eò infidelitatis deuenirent, vt Dei gloriam, ac noſtræ Sacræ Religionis vtilitatem (quas dumtaxat in dictis electionibus quærere debent) ſuis paſſionibus, & affectibus humanis poſtponerent, & omiſſis dignioribus, minus dignos, ob amicitiam, commendationem, intereſſe, aut alium reſpectum temporalem eligerent; præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, vt poſtquā lecta fuerint quæ præſcribuntur in Conſtitutionibus, cum articulis 7. 8. & 9. horum Decretorum, & Præſes

Electores efficaciter adhortatus fuerit ad electiones ſanctè, & ex conſcientia faciendas, ſinguli genuflexi ſigillatim iuramentum, quod ſequitur, intelligibili voce pronuncient, antequam ferant ſua ſuffragia.

Ego N. teſtem inuoco Ieſum Chriſtum, qui me iudicaturus eſt, me electurum in Priores, & alios Officiales, eos, quos ſecundùm Deum, & conſcientiæ meæ dictamen, capaciores, & magis idoneos iudicauero.

8. Et vt, quantum in nobis eſt, periurium ab iſtis electionibus propulſemus, earumque integritati conſulamus, abſolutionem dictæ cenſuræ nobis, noſtriſque Succeſſoribus reſeruamus; ita vt nullus poſſit ab ea abſolui, etiam virtute cuiuſcumque vniuerſalis licentiæ hactenùs conceſſæ, aut per nos, aut ſucceſſores noſtros concedendæ pro abſolutione reſeruatorum, nec illius, quæ datur in Capitulis Prouincialibus, & in vigiliis quarundam ſolemnitatum, à quibus facultatibus præfatam cenſuram perpetuò excluſam volumus.

Iniungimus per meritum Sanctæ Obedientiæ Præſidibus Capitulorum Prouincialium a nobis, & Succeſſoribus noſtris impoſterùm nominandis, vt pridie quam dictæ electiones fiant, diligenter cum ſocijs ſuis interrogent Diſcretos ſingulorum Conuentuum, præuio iuramento, de modo quo Priores officium ſuum depoſituri in iſto Capitulo, rexerint Conuentus in ſpiritualibus, & temporalibus: & an alij Officiales rectè functi ſint ſuis muneribus: & qui deprehenſi fuerint non benè rexiſſe, aut adminiſtraſſe, fuerint caſtigati, & qua pœna; totumque exactè, & fideliter ad P. Generalem pro tempore exiſtentem reſcribant, & etiam an electiones in Capitulo, cui præfuerunt, ritè & ſecundùm Deum factæ fuerint; vt abuſibus, ſi qui irreperent, prompto remedio occurratur: & intereà eos, qui malè gubernauerint, aut adminiſtrauerint nulla ratione permittant ad alia officia promoueri: quæ omnia notabuntur in Actis Capituli, alias non confirmandis.

Copia Interpretationis art. 7. c. 12. p. 1. Conſtitutionum Strictioris Obſeruantiæ facta à P. Generali.

F. Matthæus Orlandus S. Theologiæ Magiſter, & humilis Prior Generalis Fratrum Beatiſs. Virginis Mariæ de Monte Carmelo.

CVM pro parte Prouinciæ noſtræ Germaniæ Inferioris poſtulatum eſſet, an art. 7. cap. 12. partis primæ Conſtitutionum Strictioris Obſeruantiæ pro Reformatis in Ordine noſtro, a P. Theodoro Stratio Prædeceſſore noſtro conditarum, & à S. Sede confirmatarum tenoris ſequentis: *Nullus etiam audeat Reformationes Conuentuum tàm in Ordine noſtro, quàm extra ſuſcipere, imò nec commiſſiones vllas in alijs Prouincijs recipere, & exequi ſine Capituli Prouincialis, vel Prioris Prouincialis, & Definitorum expreſſo conſenſu, quem extra neceſſitatem, & præceptum Reuerendiſſimi Generalis dari nolumus, ob maxima incommoda, quæ exinde ori-*

ri comperimus, & qui ſecus fecerit, hoc ipſo Reformationis deſertor habeatur; etiam comprehendat commiſſiones Priorum Generalium, itavt ſi Religioſus vnius Prouinciæ commiſſionem Prioris Generalis viſitandi, reformandi, præſidendi Capitulo Prouinciali, iudicandi cauſam appellationis ad Generalem interpoſitæ &c. ſuſciperet; & exequeretur abſque ſupraſcripto conſenſu Capituli Prouincialis, aut Prioris Prouincialis, & Definitorum eſſet habendus Deſertor Reformationis; Nos, authoritate nobis conceſſa explicandi Conſtitutiones, de conſilio Sociorum noſtrorum declarauimus, & declaramus mentem præfati P. Stratij non fuiſſe in dicto articulo 7. comprehendere commiſſiones Priorum Generalium. Horum fide &c. Datum Romæ die 6. Aprilis 1672. Sig. erat

Fr. Matthæus Orlandus Generalis Carmelitarum.

& infra. Æmilius Iacomelli Prouincialis Terræ Sanctæ Secr. Ord.

Locus † ſigilli.

Copia Decreti S. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium negotijs præpoſita confirmantis eandem interpretationem.

Eminentiſſimi, ac Reuerendiſſimi Domini.

IN Conſtitutionibus Strictioris Obſeruantiæ in Ordine Carmelitarum habetur articulus tenoris ſequentis: *Nullus etiam audeat Reformationes Conuentuum tàm in Ordine noſtro, quam extra ſuſcipere, imò nec commiſſiones vllas in alijs Prouincijs recipere, & exequi ſine Capituli Prouincialis, vel Prioris Prouincialis, & Definitorum expreſſo conſenſu, quem extra neceſſitatem, & præceptum Reuerendiſſimi Generalis dari nolumus, ob maxima incommoda, quæ inde oriri comperimus; & qui ſecus fecerit, hoc ipſo reformationis deſertor habeatur;* Et cum fuiſſet dubitatum in Prouincia Germaniæ Inferioris an illo articulo comprehenderentur etiam commiſſiones factæ à Prioribus Generalibus, modernus Prior Generalis authoritate ſibi conceſſa explicandi dubia Conſtitutionum, declarauit prædictum articulum non comprehendere commiſſiones factas à Generalibus, ſed aliorum ſubalternorum Ordinis, aut exterorum, quam declarationem Commiſſarius Generalis præfatæ Prouinciæ poſtulat confirmari à S. Congregatione. Quam Deus &c.

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotijs, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita cenſuit ſupraſcripta verba Conſtitutionis non comprehendere commiſſiones factas à P. Priore Generali Ordinis. Romæ 8. Apris 1672.

Signatum F. Card. Brancatius: & inferiùs

C. de V. Arch. Athe.

Locus † ſigilli.

Formula Acti faciendi pro depoſitione ab Officio, priuatione vocis, inhabilitatis, &c.

CVM in Scrutinio Viſitationis huius Conuentus noſtri N. inchoatæ die .... menſis .... anni 168 ex varijs depoſitionibus conſtitiſſet P. N. Priorem indebitaſſe Conuentum ſine ineuitabili neceſſitate, & licentia &c. *vel* F. N. Sacriſtam pretioſora ornamenta comparaſſe ſine licentia, P. Prouincialis illum verbalitèr interrogauit in Capitulo: & quia rationes per eum adductæ pro ſua excuſatione iudicatæ ſunt inſufficientes: *vel*, quia nullos nominauit teſtes, qui aſſererent ea, quæ pro ſua expurgatione allegauit: *vel*, quia teſtes ab eo nominati non aſſeruerunt, quæ Reus allegauit, declaratus eſt conuictus, & manſit priuatus officio ſuo. *Si verò pena depoſitionis, priuationis vocis &c. inhabilitatis &c. non ſit impoſita ipſo facto, ſcribetur:* declaratús eſt conuictus, & ab officio ſuo depoſitus fuit per Prouincialem: *vel*, priuatus eſt voce &c.

Taxa Veſtiarij à Prouincijs Ordinis ſoluendi Reuerendiſs. Patri Generali.

PROVINCIA:		
S. Alberti ſoluet ſcuta	90.	
Narbonę	7.	20.
Romæ	30.	
Franciæ	7.	20.
Alemaniæ Inferioris	12.	
Lombardiæ	60.	
Aquitaniæ	7.	20.
Caſtellæ	60.	
Prouinciæ	15.	
Tuſciæ	57.	
Venetiarum	92.	
Toloſæ	7.	
Cataloniæ	45.	
Alemanæ Superioris	10.	
Vaſconiæ	7.	50.
Turoniæ	12.	
Aragoniæ	45.	
Neapolis	54.	
Luſitaniæ	60.	
Romandiolæ	37.	50.
715:60		
S. Angeli	100.	
Bethicæ	35.	
Poloniæ.	17.	
Apuliæ	37.	50.
Calabriæ	30.	
Flandro - Belgicæ	20.	
Gallo - Belgicæ	10.	
Aprutij	15.	
Congregationis Mantuanę	27.	
Montis Sancti	7.	
Sardiniæ	7.	50.
S. Mariæ à Vita	28.	50.
Pedemontis	30.	
Conuentus Pariſienſis	5.	
Conuentus Maior Neapolis	450.	
Conuentus Drepani	100.	
Conuentus Sancti Nicolai Bonon. Panorm.	20.	
Conuentus Præneſtæ	9.	
Conuentus Summæ	63.	
Granciæ Neapolis	54.	50.
~~1821.60~~ 1066:60 715:60		

Taxa Veſtiarij R.A.P. Magiſtro Procuratori Generali.

PROVINCIA.			
S. Alberti ſoluet ſcuta	30.	Beticæ	21.
Romæ	10.	Poloniæ	8. 50
Lombardiæ	16.	Apuliæ	21.
Caſtellæ	15.	Calabriæ	18.
Tuſciæ	18.	Flandro-Belgicæ	4.
Venetiarum	20.	Aprutij	12
Cataloniæ	6.	Sardiniæ	4. 60
Aragoniæ	6.	S. Mariæ à Vita	7.
Neapolis	27.	Neapolis Carmelus	80.
Portugalliæ	9.	Montis Sancti	
Romandiolæ	18.	Gallo-Belgicæ	2. 30
S. Angeli	30.	Pedemontis	9.
			392. 40

Taxa pro Litteris, quæ quotannis mittuntur ad Vrbem.

PROVINCIA.			
S. Alberti ſoluet ſcuta	30.	Beticæ	18.
Romæ	12	Poloniæ	10.
Germaniæ Inferioris	10.	Apuliæ	10.
Lombardiæ	34.	Calabriæ	10.
Caſtellæ	15.	Flandro-Belgicæ	10.
Tuſciæ	12 60.	Aprutij	3.
Venetiarum	36.	Sardiniæ	
Cataloniæ	18.	S. Mariæ à Vita	7.
Germaniæ Superioris	10.	Neapolis Carmelus	40.
Aragoniæ	18.	Montis Sancti	5.
Neapolis	27.	Gallo-Belgicæ	5.
Portugalliæ	18.	Pedemontis	16.
Romandiolæ	12.	Hanuoniæ	5.
S. Angeli	40.	Conuentus Leodienſis	3.
			414. 60.

Tria ſequentia Decreta, ex inaduertentia Typographi omiſſa, addenda ſunt locis infrà notandis.

Sub fine articuli 89. addendum eſt:

Et quia hactenùs eiuſmodi Procuratores Generales non fuerunt inſtituti apud aliquos Reges, & Sereniſſimam Rempublicam Venetam, quæ titulo & honore Regio gaudet, illi quamprimum per Reuerendiſſimum P. Generalem conſtituentur, & ſupradictis exemptionibus, gratijs, & priuilegijs potientur.

Immediatè ante art. 120.

Inſtante P. Generali iniunctum eſt omnibus, tàm Fratribus, quàm Monialibus, vt in Vigilia S. Patriarchæ noſtri Eliæ ſeruent ieiunium, ſicut in Vigilia Commemorationis ſolemnis Beatiſſimæ Virginis MARIÆ de Monte Carmelo.

Poſt art. 157.

Deinceps, vbi Capitulum Prouinciale celebratur Dominica tertia poſt Paſcha, Gremiales accedent ad locum dicti Capituli feria tertia immediatè ante dictam Dominicam, & poſt Veſperas legetur commiſſio Præſidis, ſtatimque incipientur actus Capitulares, & expedientur negotia, quæ ſolebant fieri poſt electionem Prouincialis.

Ego infraſcriptus atteſtor, quod Acta, Decreta, & alia monimenta, ſeù documenta, quæ in hoc Libello continentur concordant cum ſuis originalibus.

BIBLIOTECA NA ROMA VITTORIO EMANUELE

Fr.